



2.
SALAMAN
DRAM
adstante
MDGMO L LER
Poson ftingt fift
et Metaphys Prof
defendet
JOH BANC WURF
Norib Med
A. & D. O. R. T.
ARM. cl. bc. 1700

Q. D. B. V.

DISSERTATIO HISTORICO-PHYSICA

De Quaest:

An animalia in igne generentur, vel

vivant,

Et in Specie

DE

PYRAUSTA ET SALAMANDRA,

Quam

Divinâ permittente gratiâ

&

Consentiente Inclutâ Facultate Philosophica
in alma Tiliarum

P. P.

PRÆSES

M. BENEDICTUS HOPFERUS,

Altorffinus,

ET RESPONDENS

VALENTINUS Schmidt / Svinf. Fr.

Ad d. XV. Novembr.

H. L. Q. C.

L I P S I A E,

TYPIS JOHANNIS WITTIGAU,
M. DC. LXII.



PROOEMIUM.

Dum sollicitus sum circa thema publicæ ventilationi subjiciendum, allicit me in sui contemplationem ignis, cujus natura à natura cæterorum corporum simplicium nō parū distans insignem dignitatem ei præ reliquis Elementis conciliare videtur. Cujus intuitu gentes olim quasdam ignem pro Deo coluisse, persuasum mihi habeo. Hujus Tractationem aggressus in vastum quoddam mare deferri mihi visus sum, in quo quantò plus proficerem, tantò plus proficiendum restaret. Tot enim præstantissimæ qualitates, quibus velut ornamentis quibusdam superbit hoc elementum, si accuratè illustrandæ, examinandæ, atque enucleandæ sint, quantum temporis, quantum laboris & industriæ, quantum judicii requirant, quis est, quī non perspiciat? Missis itaque, quæ in universum de natura ignis dici poterant, ea saltem proponere, quæ ignis ἀγονία sive sterilitatem concernunt, in animum induxi. Subiit mihi admiratio, (quæ & aliàs prima ἡ φιλοσοφείν causa perhibetur) cur non, sicut in aqua, terra & aëre, ita etiam in igne animalia generarentur. Deprehendi, ignis naturam id non admittere. Obstabant tamen bestiolarum pennatæ, quas in igne nasci retulit Aristoteles, cujus cū textum evolverem, incidi in Salamandram, de qua idem refert, quòd in igne non absumatur. Utramque historiam ex aliis Scriptoribus illustratam, pro modulo ingenii discussam sisto hac Dissertatione, quam dicere posses Commentarium ad nonnulla verba Aristoteles l. 5. hist. Anim. c. 19. Quamvis enim alii quoque Scriptores animalia pyrigona & pyribia legentibus obtrudere conati sint, plerique tamen Aristotelem secuti videntur. Hunc ipsum itaque, siue potius ejus relationem, ejusque Patronos, partim Autoritate, partim rationibus refellere constitui. Constat autem Dissertatio hæc tribus Capitibus. In primo statum Controversiæ proponimus, & questionem nostram ab homonymia liberamus: in secundo, quid varii scriptores de animalibus Igneis, & in specie de pyraustis & Salamandra circa hanc materiam scripserint, adducimus; In tertio oppositas Autoritates discutimus, rationes convellimus, & ita veritatem detegimus.

CAPUT I.

In Quaest. pro-
pos.

Intelligitur.

S. 1. Solenne quibusdam est, iis praefertim, qui ex instituto opinionem aliquam examinandam, labefactandam & destruendam sibi sumunt, ut suos, quos putant, adversarios undique aggrediantur, uno quasi impetu eorum assertiones atque probationes prostraturi, nullo interim habito respectu, an ipsis semper directe contradicant. Nos itaque, ne in eundem impingamus lapidem, paulò dilucidiorē quaestionis nostrae dabimus explicationem.

Ignis verus
non Allegori-
cus.

S. 2. Ignem hīc non intelligimus allegoricum, sive is in bonam, sive in malam partem accipiatur. Illo modo saepe scriptoribus sacris & homileticis pii & probi vivere dicuntur in medio igne calamitatum & crucis, &c. igne miseriarum velut aurum probari &c. omnem hominem igne salendum Christus pronunciat. α) De baptismo ignis (est enim & hic allegoricus, & literalem contra Seleucianos & Pontificios recte explodit Spanhemius) β) quae dixerit Johannes Baptista, vide apud Matth. & Luc. γ) quae verba Baptistae literaliter accipiens Origenes δ) multa rhetoricatur *de flumine igneo, de romphaea flamma, de baptismo, quo homines baptisandi sint in fluveo igneo &c.* multò minùs sermo nobis erit de igne libidinis, in quo nonnunquam vivunt ii, qui Veneri stipendia militant, & ob id ab Aegyptiis per Salamandram in igne viventem adumbrati sunt. ε) Nec intelligimus hīc ignem, cui suspensa est efficacia comburendi, qualis à plebisque fuisse creditur in fornace babilonica apud Daniele. ζ) & in suppliciis quorundam Martyrum, in quo Martyres illasi conservati sunt, apud scriptores Ecclesiasticos. Memini tamen, quosdam η) esse in alia sententia, nimirum actionem ignis in fornace babilonica non à Deo, qui concursum suum universale ei subtraxerit, suspensam fuisse, sed ignem reverà ussisse, quod patet de sarmentis injectis, & incensoribus fornacis combustis: Interea tamen à tribus istis viris, veri Dei cultoribus per Angelum remotum fuisse, ne illos eorumque vestes attinge-

α) Marc. 9. 49. β) Part. 3. dub. Evang. dub. 91. γ) Matth. 2. 17. Luc. 3. 16. δ) homil. 24. in Luc. cujus quae fuerit mens, Spanhemius explicat dub. Ev. p. 3. dub. 39. ε) Pier. Valer. l. 16. c. 23. ζ) 1. 3. 21. seqq. η) v. Corn. à Lap. in Dan. c. 3. 49.

Nec miracu-
lulosus.

tingere posset. Ne autem æstus, à tanto illisque tam propinquo igne ortus viros istos offenderet, auram ab Angelo immissam, fuisse, quæ viris istis refrigerio esset. Et hæc non ineptè colligunt ex translatione Theodotionis, in qua miraculum hoc modo accidisse, disertè memoratur, quamvis in textu Ebraico hæc non occurrant. Hoc obiter. Nec denique intelligimus ignem *Nec apparens.* fictum sive apparentem tantum, cujus generis fuisse illum probabile est, in quo Diabolus Sacerdotes gentilium illæsos conservavit, quemque, nî fallor, etiam nostrâ ætate Sagis quibusdam innoxium præstitit.

â.3. Quidnam ignis nomine in nostra quæstione intelligendum sit, diximus: nunc de animalibus videamus. Intelligimus autem animal verum, sensu vulgari & Philosophico acceptum, corruptibile; quod constat animâ & corpore, & operationes animales per organa sua ritè disposita exercet. Statim itaque nostrâ tractatione excludimus animalia Platonis, qualia Deos esse dixit, quibus ignem plenum esse asserit Philosophus Platonius Apulejus α) item qualia dixit esse Astra, ut testatur Philo Platonis fans, β) (Cicero γ) aliique. δ) Astra autem in æthere i. e. in igne (nam cælum ex igne constare Platonici pariter atque Stoici docuerunt, ut exacte Lipsius ε) probat) vivere, ejusdem Platonis mens fuit. Patet hoc ex Apul. ζ) *cum, ait, tot vaga sidera sursum in æthere, h. e. in limpidi simo ignis ardore compareant.* Ex Platonis sententia loquutus est Ovidius: η)

Animal intelligitur verum.

Non qualia esse dicuntur à Platone
Deus
Astra.

Ne regio foret ulla suis animalibus orba,

Astra tenent cœleste solum, formæq; Deorum.

Rejicimus quoque Stoicorum genios, quibus corpus & animam tribuebant, & quidem corpus igneam, sive quod ex æthere formatum esset. θ) Multò minùs disceptabimus h. l. de magno illo animali, quale Mundum putabant Plato ι) Stoici κ) Jamblichus, λ) Plotinus μ) Manilius ν) aliique, ita quidem, ut etiam animam, caput, oculos, aures, ventrem, cor pedesque ipsi affin-

Mundus.

A 3

gerent,

α) ap. Aug. d. Civ. D. l. 7. c. 16. Non video, quo fundamento Mendoza Virid. p. 260. Dæmones quoque ex Platonis mente in ignea regione collocet, cum juxta Plat. in aëre collocandi sint. V. Lips. diff. 19. phys. Sto. β) d. opif. Mund. & d. Plant. Noë γ) l. 2. d. nat. deor. δ) Lips. Diff. 14. ε) idem Diff. 12. ζ) d. Deo Socr. p. 46. η) Metamorph. l. 2. Fab. 2. θ) Lips. l. 2. Phys. Sto. Diff. 19. ι) in Timæo. κ) Diog. Laërt. in Genon. λ) d. myst. Egypt. μ) Ennead. 4. c. 32.

gerent, ut ex Plutarcho α) patet, quod animal Stoici præterea ex igne ortum esse dicebant, si Plutarcho β) fides est, atque Aristocli apud Eusebium, quos forsan sequutus Manilius γ) ita cecinit:

*Sive ignis fabricavit opus, flammæq; micantes,
Quæ Mundi fecere oculos, habitantq; per omne
Corpus. --*

Nec Animalia
mystica

Quod etiam Heracliti dogma fuisse magnus Jos. Scaliger δ) animadvertit. Similiter in considerationem nobis haud venient animalia illa mystica, quæ flammis circumdata apparuerunt Prophetæ Ezechieli, quam visionem Vates hic sub initium suæ Prophetiæ graphicè describit, ε) quæ animalia, ubi visio hæc repetita fuit apud eundem Prophetam dicuntur Cherubim. ζ) Hinc Ebræi η) & Christiani Interpretes per animalia illa intelligunt Angelos, ex quo factum, ut Judæi certos Angelos consti-

Nec incorru-
ptibilia,

tuerent, quos vocarent חיות הקדש animalia sanctitatis. θ) Tandem, ne quis existimet, nos etiam aliquid dicturos de miseris illis animalibus, impiis scil. hominibus à summo iudice aliquando ad ignem gehennæ inextinguibilem damnandis, in quo sine intermissione vivent, ideò removemus etiam à vera significatione animalis, quâ à Nobis accipitur, animalia incorruptibilia, qualia post resurrectionem futuri sunt omnes homines, quod ex sacris prolixè diducere possemus, si hujus loci esset. Quicquid tandem formam animalis repræsentat, si reverà tale non sit, hîc excluditur. Nobis sufficit, quæstionis nostræ sensum genuinum proposuisse, quod longè clariùs facturi sumus in seqq. Lubet de his tantùm adscribere Censuram Liba-
vii i) *neque sidera, ait, neque plantas inter animalia quisquam Sapientum per essentiam & univocè habet. Poetæ suis tropis liberè utuntur, & Prosopopæias varias fingunt. Plato Deum quoque animal dixit, & cum Stellas pro Diis aut visibilibus Deorum statuis coluerit, non mirum animalia per se, vel animalium signa fecisse. Animalia per re-*

α) l. i. Astron. p. 5. v. 12. β) d. facie in Orbe Lunæ. γ) ap. Lips. Diff. 8. l. 2. Phys. δ) l. c. ε) in not. ad Sphær. Man. p. 30. ζ) Ez. 1, 4. seqq. & imprimis v. 13. η) Ez. 10, 15. θ) Mos. Maym. More Nev. p. 3. c. 1. seq. i) Vid. B. Dn. Haccspan. Cognatum meum desideratissimum Disp. d. Nomin. Ang. c. 1. κ) Hypomnem. in l. 6. d. Univers. rerum sect. 3.

presentationem apud Prophetas, ut Cherabim & Seraphim, & mirifica ista Danielis & Ezechielis mystica sunt, & accedunt ad Poëtarum Prosopopœias, Hæc Libavius, in quo & sequentia, si lubet, lege. Nec apparentia

CAPUT II.

§. 1. Cùm generatio animalium semper præcedat eorundem inhabitationem loci, atque nutritionem, nos quoque secuti ordinem naturæ eam primò perlustrabimus, quod ipsum facere nos jubet discrepantia Autorum in recensendis istis animalibus. Quidam enim animalia quædam in igne generari dixerunt, in eoque perpetuò vivere. Quidam non nisi innoxiam in Igne commorationem quibusdam animantibus attribuerunt, ortum eorundem aliò referentes. Alii denique hæc invicem confuderunt, & animal, quod alii tantum in Igne illud perdurare, ipsi etiam in igne generari asseruerunt. Nos, quoad fieri poterit, distinctè singula proponemus. Si præcipuorum Autorum hac de re testimonia atque Exempla spectemus, duæ nobis præcipuè exurgunt species, prior est Aristotelis volucris Cypria pennata Pyrausta, Plinii & aliorum. Altera est Salamandra. Pleraq; quæ de animalibus ejusmodi prodita sunt, ad Pyraustam vel Salamandram referenda esse patebit. Si quæ tamen occurrent, quæ diversa ab iis videbuntur, ea quoq; adducere haud pigrabimur.

§. 2. Vocem Pyraustæ nos hîc accipimus juxtà Plinii mentem. Apud Scriptores Plinio multo antiquiores denotat Papillionem sive Hepiolum, qui lucernarum luminibus advolitat & comburitur. Patet id ex Æliano *a)* qui testem citat Æschylum V I. seculis circiter Plinio antiquiorem & *b)* Zendoto apud quem habetur proverbium *πυραύστα νόστιμα*, id est, Pyraustæ interitus, quia scilicet hoc animalculum subito interit, de quo vide Erasmus. *c)* Et aliud Proverbium apud eundem *πυραύστα χαίρεις* gaudes Pyraustæ gaudium, de iis, qui sibi ipsis exitium accersunt. Apud Aristotelem *d)* Pyrausta primò denotat vermicu-

Exhibetur
Pyrausta. (I.)
ejus nomen.

a) lib. 10. de Animal. cap. 8. *b)* in proverb. quæ ex antiquo Scriptore Didymo Diodori Coëtaneo magnam partem exscripsit. Obiter hic notamus Pierium, qui lib. 16. Hierogly. cap. 24. Erroris insinuat Zenodotum, quod Pyrausta tribuat quæ minuto papillionum generi inesse videmus. Pierius antiquos Scriptores non consulit, aliàs censura hac abstinuisset. *c)* In proverb. *πυραύστα*. *d)* lib. 8. Histor. animal. cap. 8.

mīculum, qui favīs officit. Deinde aliā bestiōlam simīlem Hepiolo Papilioni qui lucernis advocat. Ex quo patet antiquissimos Scriptores bestiōlæ illæ, quæ ipsis Pyrausta propriè dicebatur, nihil de his attribuisse, quæ Plinius ipsi affingit. Quid Plinium moverit, ut Aristotelis (quem hic sine dubio exscripsit) volucres Cyprias Pyraustas appellaverit, non video. Si vocis impositionem spectas, illa Aristotelis bestiōlis oppidò contrariatur. Pyraustam enim dici *ἀπὸ πυρὸς αὐεσθαι*, id est, igne cremari, quilibet videt, quod & Etymologi *a)* testantur. Aristoteles vero dicit, quod istæ bestiōlæ, quas Plinius Pyraustas vocat, haudquaquam in igne cumentur, sed potius conserventur, ut mox patebit.

Generatio ex igne, quæ confirmatur ex Aristotele.

S.3. Ad rem ipsam properamus & primò quidem Aristotelis locum adducere operæ pretium est, hunc enim plerisque qui post Aristotelem *b)* scripserunt, ansam dedisse, ut eadem de Pyraustis traderent, persuasum nobis habemus. Nec ullus antiquior Aristotele est, quod ego quidem sciam, qui de ignigenis aliquid scripserit. Ejus verba hæc sunt: *καὶ ἐν τοῖς δοκῶσιν αἰσυπλοῦσιν ἐγγίνεται ζῶα ἐν κύπερ δὲ χαλκίτις λίθος καίεται ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας ἐμβαλλόντων, ἐν ταῦθα γίνεται θηρία ἐν τῷ πυρὶ τῶν μεγάλων μύων, μικρόν τι μείζονα, ἃ καὶ τῷ πυρὶ ἐσθίει καὶ πυδᾷ. Αὐτοὶ δὲ τὰτα χωρίζονται τῷ πυρὶ.* id est, ex interpr. Scaligeri *Animalia, etiam in iis quæ putrefieri minime posse putant, nasci videntur. In Cypro Insula ubi Chalcitis lapis injectus pluribus diebus excoquitur, ibi in igne oriuntur bestiōlæ grandibus muscis paulo majusculæ, pusillis alis, quæ per ignem ambulant & saliant, moriuntur autem hæc, si ex igne eximantur.* Obiter nota apud plerosque sequioris ævi Scriptores, qui hanc historiam ex Aristotele latinè recitare gloriantur, post τὸ in Insula inseri τὸ in ærariis fornacibus, cum de eo ne verbum quidem exstet apud Aristotelem. Nimirum Gazæ interpretationem plerique descripserunt de Græcis fontibus nec quicquam solliciti. Aristotelem sequitur Plinius *c)* cujus hæc sunt verba, *in capite cujus rubrica est de Pyrali si Pyrausta. Gignit aliqua & contrarium naturæ Elementum. Siquidem in Cy-*

Plinio.

a) Martinius lexic. phil. v. Pyr. Vosius Etymol. V. Pyr. *b)* Histor. Animal. lib. 5. cap. 19. *c)* Histor. natur. lib. 11. cap. 36.

pri' arariis fornacibus, ex medio igne majoris muscæ magnitudinis volat pennatum quadrupes, appellatur Pyralis, à quibusdam Pyrausta. Quam diu est in igne, vivit, cum evasit longiori paulò volatu, emoritur. Vocem Pyralis quod attinet, occurrit & illa alio sensu apud Græcos Scriptores, ut patet ex Hesychio & Athenæo. a)

§. 4. Plinium sequitur Ælianus, b) qui in re ipsa cum Plinio consentiens, alio tamen utitur vocabulo & quidem aptiori ad naturam dictarum volucrum, exprimendam. Vocat enim Pyrigona, quod si latinè vertas, significat ex igne genita. Verba ejus hæc sunt: *τίκτεσθαι μὲν ἐν ὄρεσι ζῶα, καὶ ἐν αἰέρι, καὶ θαλάττῃ, θαῦμα ἔπω μέγα, ὕλη γὰρ, καὶ τροφή, καὶ φύσις ἡ τῶν αἰτίων. ἔγγονα τῶ πυρὸς πῦνα εἶναι, τὰς καλεσμένους πυριγόνους, καὶ ἐν αὐτῷ βινῆν, καὶ τεθελέναι, καὶ δεῦρο καὶ ἐκείσε περιπολεῖσθαι, τὸ ἐκ πηλίκον. καὶ τὸ ἐν θαύμα, ὅταν ἔξω τῶ πυρὸς τὸ συντροφὸν ἐκνέυσωσι, καὶ αἰέρος ψυχρῇ μετὰ λάβωσιν ἐνταῦθα δὴ τε θνήκασιν, καὶ ἥ τις ἡ αἰτία, τίκτεσθαι μὲν πυρὶ, αἰέρων δὲ ἀπολλυθαι, πρῶτως λεγέτωσιν ἄλλοι.*

Æliano.

§. 5. Porro sententiam hanc de bestiis, in Cypri fornacibus genitis, inter veteres etiā adducit Antigonus, c) sed ea, more consueto, quem cum primis notavit Salmasius d) ex Aristotele descripsit, dabitur tamen infrā ea citandi locus.

Antigono.

§. 6. Aristotelis vestigia presserunt quoque Apulejus, e) Bal- b) Ciceronianus f) & Seneca. g) De Apulejores non est dubia, expressè enim Aristotelem hac de re citat. Ciceronis hæc sunt verba: *Sunt quædam etiam (bestiæ) quæ igne nasci putentur, appareantq; in ardentibus fornacibus, sæpe volitantes.* Respexisse his verbis Ciceronem ad Aristotelis locum allegatum, verisimile nobis fit, & confirmat nos D. Gottofredus, qui in margine ad dictū locū Ciceronis allegat Aristotelem c. 19. histor. Animal. lib. 5. Similiter locum Aristotelis intendere videtur Seneca: *Ignis, ait, qui omnia consumit, quædam etiam creat: Et quod videri non potest, simile veri, sed tamen verum est, animalia igne generantur.*

Apulejo.

Cicerone.

Seneca.

§. 7. Relationi Aristotelicæ & Plinianæ de Pyraustis alii etiam ex recentioribus fidem adhibuerunt. Autor libri de Natur. rer. h) eodem modo, quo Plinius historiam de Pyraustis addu-

Et recentioribus,

B

cit,

a) ap. Scap. Lex. V. pyral. b) de Animal. lib. 2. cap. 2. c) θαυμασ. d) Proleg. ad Exercit. Plin. e) de Deo Socratis pag. 46. f) Cic. lib. 1. de Nat. Deor. g) lib. 5. Quæst. Natur. c. 6. h) apud Vinc. Bell. Spec. nat. lib. 2, c. 153.

cit, ut Plinii locum verbotenus descripsisse, videri posfit. Majolus *a)* admiratur aviculas istas aridissimas omni humore carentes in igne nasci, nō aduri, quin potius in eo vixere, imò flammis egere, ut vivant. Sed & diu ante ipsum idem admisit Albertus Magnus *b)* Sed & alii Philosophi, qui tamen emunctioris nasi videri volebant, hanc de Pyraustis fabulam, pro vera acceperunt, ut Julius Cæsar Scaliger, *c)* Mercurialis, *d)* Altstedius *e)* Heidfeldius *f)* Nirnbergius, *g)* Schottus *h)* & alii.

(II.) Aves Carystias ex Antig. & Solin.

§. 8. Pyraustis subjungimus aves carystias, quarum non nisi apud Antigonum & Solinum mentionem factam esse deprehendimus. Antigoni locus prout Salmasius *i)* eum emendavit, hic est: *k)* ἐν κύπελλῳ ἔχοντι χαλκίῳ λίθος καίεται γίνεται θήριον μικρὸν μείζον, μυιῶν. τὸ αὐτὸ δὲ καὶ ἐν τοῖς καρυστίων σιδηρείοις. Ἀπὸ θνίσκειν δὲ τὰ τῶ πυρὸς χωρίζόμενα. Unde hauserit hæc posteriora Antigonus haud certò constat. Ex Antigono desumfisse suas aves carystias Solinū *l)* haud levis conjectura est ex eo, quod & alia plura ex eodem in suum Polyhistora transcripsit, ut animadvertit perspicacissimi ingenii vir Claud. Salmasius *m)* Ipsius Solini hæc sunt verba: *Carystos habet carystias aves, quæ flammis*

(III.) Conopes impune involant. ex Strab.

§. 9. Culices ex igne nasci Strabo *n)* testatur his verbis: τὴν δὲ γένεσιν τῶν ζώων τοιαύτην εἰκάζουσιν, ὅταν τὴν τῶν κωνώπων, ἐκ τῆς ἐν τοῖς μετάλλοις φλογός, καὶ τῶ φεψάλης. id est, Casaub. Interp. Ortum animalculorum (quæ in nive generantur) talem conjiciunt qualis est culicum in metallis è flamma & favilla. Celebris Scriptor Ulyssis Aldrovandus: *o)* In transitu nobis hic notandus venit, adducit ille Wottonum (intelligit procul dubio Anglum, qui de differentiis animalium scripsit librum Paris. Anno 1552. impressum) Qui refert conopes ex flammis & scintillis generari, quemadmodum vermes ex nive. Et quoniam Wottonus Strabonem ex quo sua hausit, tacuerat, eum Aldrovandus ita corrigit: *Procul dubio, id est, ex Aristotele qui non conopes*

a) Canic. dier. colloq. 5. *b)* lib. 26. de Animal. *c)* Exercit. 23. & Exercit. 194. *d)* Var. lect. lib. 3. c. 14. *e)* Encyclop. lib. 7. part. 6. Phys. c. 3. *f)* Sphyn. phil. *g)* lib. 4. Histor. natur. cap. 18. *h)* Phys. curios. pag. 811. *i)* Exercit. plin. pag. 177. *k)* Isog. cap. 90. *l)* Polyh. cap. 11. *m)* Proleg. ad Solinum. *n)* Geograph. lib. 11 p. 328. *o)* de insect. lib. 3. cap. 5. fol. 153.

pes in igne nasci, sed bestiolas simpliciter pennatas, muscis grandibus majores scribit, quando ait: In Cypro &c. Quam tamen correctionem Wottonus minime promeruit, ut patet.

§. 10. Macedoniam quoque Animalibus ignigenis veracem (IV.) Animalia Macedonia ex Philone. esse a) Philo testatur: τὰ μὲν δὲν (ait.) μετὰ βαπτικὴν κινήσει χρώμενα, αἱ δὲ φάμεν ἡμεῖς ζῶα εἶναι, ταῖς τῶν παντὸς ὁλοχρετέραις προσεγίνετο μοίραις, γῆ μὲν τὰ χερσαῖα, πλὴν τὰ δὲ ὕδατι τὰ δὲ πῦρ ἀέρι, καὶ τὰ πυρίγονα πυρὶ, ὧν ἡν γένεσιν ἀριδηλοτέρων κτ. μακεδονίας λόγος ἔχει προφαίνεσθαι. In alio Philonis loco eadem habentur, quem paulò inferius recitandi dabitur occasio.

§. 11. Ultimo loco reservandam esse duximus lepidam traditionem, quam adducit Macarius Eremita Aegyptius b) ὡς δὲ (ait.) ὁ λόγος τῶν ἑξαωθεν λέγει, ἔστιν ὅρη πύρρινα, ὅτι ἐκεῖ πῦρ ἐστὶ, καὶ ἔστιν ἐκεῖ ζῶα ὅμοια τοῖς προβάτοις, λοιπὸν οἱ θηρεύοντες αὐτὰ, ποιῶσι σιδηρὰς τροχὰς, καὶ βάλλουσιν ἀγκίστρα, καὶ πέμπουσιν εἰς τὸ πῦρ, ἐπεὶ τε ἐκεῖνα τὰ ζῶα τὸ πῦρ ἔχει βρῶσιν, τὸ πῦρ ἔχει πόσιν, ἀνάπαυσιν, αὐξήσιν, ζωὴν, ἀντὶ πάντων τὸ πῦρ αὐτοῖς ἐστὶ, καὶ εἰ ἐξενέγῃ αὐτὰ εἰς ἄλλον αἶρα, λυπόλυνται, καὶ τὰ ἐνδύματα αὐτῶν ὅταν ριπωθῇ εἰς τὸ ὕδωρ ὁ πλύνονται, ἀλλὰ εἰς τὸ πῦρ, καὶ γίνονται καθαρώτερα καὶ λαυκότερα. Quamvis v. Macarius nō expresse dicat, animalia ista ovibus similia in igne generari, id tamen exinde, quod ea dicit non nisi in igne vivere posse, manifestè sequitur.

§. 12. In antecessum mentionem hīc facere cogimur Salamandræ (de qua in altera sectione plenius dicetur) quoniam & illa inter ignigenas a nonnullis recensetur. Quibus tamen Bustamantinus Medicus & Philosophus Hispanus, immeritò annumerat, Nicandrum, Medicum illum antiquissimum, cujus Theriaca & Alexipharmaca hodie adhuc exstant. Bustamantini c) hæc sunt verba: Salamandram in medio igne generari, visum est Nicandro in Theriacis, aliisque maximè notæ Autoribus. Verùm de Nicandro gratis hæc asserit Bustamantinus, in illo namque loco in quo Nicander de Salamandra agit, quem innuit Bustam: & in quo maximè dici oportebat, silentium Nicandri hac de re compertum habemus. Si maximè notæ à tutores istos indigitasset Bustam: plura nobis de veterum mente hac

(VI.) Salamandra ex Zoroastre.

B 2

in

a) de plant. Noachi b) Homil. 14. pag. 179. verborum ejus sensum latine tibi dabit Mendoza Virid. lib. 4. problem. 23. pag. 258. c) de Animant. Scriptur. S. lib. 6, cap. 2.

in parte constaret, nisi fortè eos, eadem quàm Nicandrum, legerit attentione. Ipsum vero mireris Bustam: *a)* pluribus differentem, quæ ratione stabiliri queat Salamandræ in igne generatio, ut postea videbimus, cum tamen in alio loco *b)* negare videatur, Salamandram in igne nasci & vivere.

Zoroastre.

§. 13. Interim, ut ad veteres revertamur, audiamus Coelium Rhodiginum *c)* Virum, ut opinor, fide dignissimum, qui ex libro veteri *ἐκλογῶν περὶ γεωργίας* refert, Salamandram minimum Animal ex ignibus ortum capere, & in iis flammæ nocumentum haud sentire. Existimo Coelium hæc desumpsisse ex Zoroastre, cujus excerpta leguntur apud Autorem *Γεωπονικῶν* (sive is fuerit Constantinus Pogonatus sive Cassianus Bassus, sive alius quis) Gesnerus *d)* ex illo Zoroastre citat hæc verba: Salamandra minimum Animal ex igne vivit & in igne generatur non urente eam flamma. Addit Gesnerus: Videntur autem hæc dicta potius ad Pyriganos muscas quam ad Salamandram pertinere.

SECTIO II.

Exhibetur Salamandra

§. Accessum facimus ad Salamandram. Vocem quod attinet, varii varias ejus confinxerunt Etymologias, prout iis naturam hujus Animantis magis magisque exprimi posse putabant. Salamandram sic dictam esse, quod juxta *Σαλαμ* habeat *μῦνδεγαν*, scrutatores Etymorum præstantissimi Martinus *e)* & Vossius *f)* arbitrantur. Derivationem hanc non ineptam esse, ex inde conjicias, quod Animal hoc loca humida & frigida incolit, & in cavernis juxta amnes vivit, præcipuè vero tempore pluvio apparet, hinc Plinius *g)* eam non nisi magnis imbribus provenire & serenitate deficere, ait. Quod & aliorum testimoniis Gesnerus *h)* probat. Aliam derivationem supeditat Bustam: *i)* quæ mihi non æquè arridet. Plures adducit Martinus *k)* quæ partim ex Hebraismo, partim ex Arabismo, partim aliunde sunt desumptæ, quas, qui volet, videre poterit, & deprehendet quasdam earum nimis longè petitas esse. Illas saltem afferimus, quæ ad vitam Salamandræ in igne respiciunt. Primum adducimus Isidori *l)* ineptias. Ille, quorundam judicio vocem hanc ex Latio arces-

quam in igne vivere inadet l. Nominis

a) Bustam. l. c. *b)* de An. Scr. S. l. i. cap. i. ubi merum figmentum esse asserit, quod vulgò de Salamandra dicitur. *c)* Antiq. Lect. l. 10. c. 10. *d)* De Quadr. Ovip. l. 2. p. 77. *e)* Lex. Philol. Voc. Salamandra. *f)* Etymolog. V. Salam. *g)* l. 10. Hist. Nat. 6. 67. *h)* l. c. p. 76. *i)* de An. Scr. l. 6. c. 2. *k)* l. c. *l)* apud Mart. l. c.

arcescit. Salamandram sic vocatam ait, quod contra incendia valeat. Videtur hoc velle, inquit Vossius *a)* quasi valincendia, sive, Etymologia ut Martinius opinatur, quasi valincendra. Aliam æquè lepidam Etymologiam refert Martinius *b)* ex Catholico, quod Salamandra sic dicatur, quasi sola amans, $\pi\upsilon\rho$. Dubitat etiam Martinius *c)* an Hispalensis ad Arabicum Etymon respexerit, quod derivari posset Salamandra ex Arab. سَلْمَانْدَر ustio عَنْدَر prohibuit, & تُونِيْكَ tunica seu torax, quasi ignem (crassâ) pelle prohibens. Vides quam operosi sint nonnulli, ut miserum hoc animal flammis adjudicent.

S. 2. Salamandræ nomine etiam aliæ res insignitæ sunt, quod procul dubio, non $\delta\alpha\mu\acute{o}\nu\tau\iota\varsigma\ \tau\eta\varsigma\ \tau\acute{\upsilon}\chi\eta\varsigma$, sed $\delta\alpha\mu\acute{o}\nu\tau\iota\varsigma\ \tau\eta\varsigma\ \lambda\gamma\upsilon\sigma\iota\alpha\varsigma$ factum Homonymia est, ob convenient jam aliquam, quam cum Salamandra animante habere videbantur. Testatur Martinius *d)* Chymicis tincturam Philosophorum, quod in igne subsistat (illæsa) Salamandram vocari. Geraldus *e)* refert Amianti lanuginem nostra vernacula lingua capillos Salamandræ appellari; & Agricola *f)* vocem Amianti Germanicè interpretatur Salamanderhaar. Rationem denominationis hujus quæris? Hæc est: Quia, sicut Salamandram Animal, ita & filamenta hujus lapidis. ex iisq; contexta tela flammæ vi resistere putabant. Illud vero admiratione dignum, traditionem de Salamandræ incombustibilitate, etiam Tartaris innotuisse, apud quos Græcæ & Latinæ literæ incultæ prorsus jacuerunt, ut illos ex scriptis Veterum sua hausisse vix putares. Refert Marcus Paulus Venetus *g)* in monte quodam regionis Chynchyntales Tartarorum Imperatori, Magno Cham subiectæ, erui mineram, quam incolæ Salamandram appellent, de qua fiat pannus, qui in ignem injectus, comburi non possit. In frequentibus de Salamandræ hujus textura ejusque in ignibus præparatione idem M. Paulus prolixius agit. Pergit deinde, hoc edoctum se esse à socio quodam suo, Viro singulari industria, religione Turco, qui in regione illa rebus metallicis præfuerit. De veritate hujus relationis

B 3

forfan

a) Etymol. l. c. *b)* Lex. Phil. l. c. *c)* l. cit. *d)* Lexic. Phil. Voc. Salam. respicere hoc videtur Autor Hieroglyph. Collectaneorum quæ Pierii Hieroglyphicis addita sunt p. 35. *e)* apud Langium Epist. Medic. lib. 1. Epist. 66. *f)* Agric. apud Gesn. p. 74. *g)* lib. 1. Navig. c. 47.

forſan quīs dubitaverit? Scio quā ſuſpecta fuerit Poli fides plerisque eruditorū, neque ego ſingula ejus dicta pro Oraculis habenda eſſe cenſeo. Recentiores tamen navigationes plurimis hujus Viri narrationibus, quæ fabuloſæ putabantur, fidem conciliarunt: Quod rem præſentem attinet, ut Polo fidem adhibeam, adducor verbis Geraldī: *a*) Dum Romæ agerem, inquit, aiebant Tartarorū Regem ſummo Pontifici linteum ex Salamandra miſſe, in quo ſudarium Salvatoris S. Sancti vultus effigie inſignitum ab omni incendio tutum, conſervaretur, involutum. Locum Chynchtalis quod concernit, deprehendo in tabb. Geographicis Hondii urbem Chynchtalem cui mons adjacet ad ripam flu. Quia, circa confinia Regionis Cathajæ. Eandem mihi, eodemque ſitu exhibent Mercatoris *b*) mappæ. Huc reſpexiſſe M. Paulum non eſt dubium. Quæ ratione autem ſive nomen Salamandræ, quod juxta Viros doctos originem Græciæ debet, ſive traditio de Salamandræ incombuſtibilitate ad Barbaras illas & remotiſſimas Gentes pervenerit, illud dictu difficile eſt. Si conjecturis aliquid tribuendum, narrationē de Salamandra forſan adhuc ab Ariſtotele, etſi non immediatè ſed mediatè, ad Gentes iſtas propagatam eſſe, exiſtimarem. Ariſtotelis libri ab Arabibus ſummo ſtudio pervoluti ſunt, ut & alii Græcorum Philoſophorum. *c*) Porro aliquot excuſſiones Arabum ad Sinas factæ memorantur. *d*) Chinenſibus chynchtæles incolæ contermini ſunt. Ergo per Arabes & Chinenſes Salamandra Tartariſ innotuit. Si tamen aliquis, huic Chinenſium cum Tartariſ communicationi, murum illum ingentē inter Chinam & Tartariam obſtiſſe exiſtimet, dicam: Tartaros illos aut ab iſſis Arabibus viſitados fuiſſe, aut ab aliis Europæis, ſive Aſiaticis, qui Græcos & Latinos Scriptores inſpexerunt, ex iſſis de Salamandra non nihil percepitſſe, cujus nomen poſtea Mineræ ſuæ incombuſtibili indiderunt. Conf. cum his quæ Martiniſ *e*) refert de herba in Regione Tartaria Tanyu contermina Chinæ, quæ in igne proriſus illæ

a) apud Langium loc. cit. *b*) In Aſiâ. *c*) Ovid. Horn. Hiſtor. Philoſ. l. 5. c. 9. Ex Iſaaco & Curiona. *d*) Ex Trigantio probat hoc Per-Rev. & Clar. Dn. Theoph. Spizeliſ, Eccleſiæ Patriæ Symmiſta, Fautor meus & Amicus honorandus de Re liter. Sinenſ. ſeſt. 9. pag. 218, 227. *e*) Martiniſ. Atlant. Sin. p. 24.

illaesa consistit. Quanquam a. Martin. non adverterit, hanc her-
bam Salamandram vocari, eandem tamen esse cum ea,
quam Polus retulit, arbitramur. Conjecturas has appro-
bet, qui volet, conjecturas esse fatemur.

§. 3. Sed in viam revertamur, à qua nimis longè digressi su-
mus occasione Mineræ Tartariæ. Salamandram in Hierogly-
phicis quoque ad ignem damnatam esse, ex Horo Apolline con-
stat a) Ejus verba ex interpretatione Græca Philippi hæc sunt:

2. Hierogly-
phica,

Ἄνθρωπον ὑπὸ πυρὸς καίόμενον βεβλόμενοι σημῆναι, Σαλαμάνδραν
ζωγραφῶσι, αὐτὴ γὰρ ἐκατέρᾳ τῇ κεφαλῇ ἀναίρει, id est. Hominē
igne combustum significantes Ægyptii Salamandrā pinguunt,
hæc enim utroque capite interfecit. Ita Clar. Hoescheli-
us edidit & vertit. Sed de genuinâ lectione hujus loci meritò dubi-
tat Gesnerus, b) quod priora verba attinet, dicit: Si Salaman-
dra igne non uritur absurdum & contrarium esse, Salamandra
pictâ, hominem qui eodem uratur, insinuare. Quæ ratione au-
tem restituendus hic locus non indicat ibi Gesnerus. Existi-
mo post τὸ πυρὸς inferendam esse particulam μὴ & ita sensus
planus erit. In quibusdam codicibus Græcis locum hunc ita
conceptum fuisse, disco ex Hieroglyphicis Horapollinis, quæ
suo speculo imaginum latinè inseruit Masenius, c) Ibi dicit:
Ægyptios per Salamandram denotare hominem, qui igne non
combuitur. Et ita Hieroglyphicum hoc Pierius d) quoque
proponit. Posteriora Hori verba Gesnerus e) itidem non ine-
ptè depravata sive obscura existimat; quis enim, ait, Salaman-
dram legit bicipitem? Phasianinus f) sic Latinè transfert, sive
potius παραφράζει: Ipsa enim cum in igne fuerit, ab utroque
capite, quos attigerit, flammis conficit, ignemque etiam ta-
ctum extinguit. An rem detigerit Phasian: nunc non disqui-
ro, viris potius doctis locum hunc obscurum & depravatum il-
lustrandum & emendandum relinquo; Nobis ad alia progre-
diendum.

§. 4. Salamandram in igne exhibent nobis etiam compara-
tiones

3. Compara-
tiones.

a) Horapoll. d. Hierogl. l. 2. c. 60, b) Gesn. d. Anim. l. 2. p. 76. c) Mas. Spec. Imag. l. 6. c. 6. d) Hieroglyph. l. 16. c. 21. e) Gesn. l. c. f) Phas. apud Hoeschel. in not. ad Hor. pag. 201.

tiones Nazianzenus *a)* se & Basilium Magnum, quod in Atheniensi *δεισιδαιμονία* salvi conservati essent cum Salamandra comparat, quam vocat, *ζῶον ἐν πυρὶ σκαῖρον, ὃ τὰ πάντα ἀλίσκειται*. Quidam teste Cornelio à Lapide *b)* cum eadem conferunt tres socios Danielis, in fornace Babylonicâ ab igne haud exustos. Idem Corn. à Lap. comparisonem quoque instituit inter Salamandram & inter religiosos seu Monachos & virgines (Moniales intelligit) qui in igne vivant Angelicè. Plura ejusmodi deprehendere licet in scriptis Homil. & Philos. sequiori ævi *c)* quibus adducendis cartarum angustia excludimur.

4. Emblemata.

§. 5. Idem videre est in Emblematis & Symbolis. Emblemata dedit Camerarius *d)* cum Lemmate: *candidè & sincerè*. Et disticho hoc subscripto:

Ambulat en medios Salamandra illæsa per ignes;

Nempe illæsa manet semper & integritas.

Pantaleon Candidus *e)* inter cœteros arcustriumphales, Alberto Archiduci cum Infantâ Bruxellas ingredienti, erectos, meminit cujusdam, in quo depicta fuerit arbor; infra vero ignis cum inscriptione: *MIHI MORS*. Et Salamandra (infra ignis) cum inscriptione: *MIHI VITA*. Pro symbolo sibi Salamandram delegerat Franciscus I. Galliarum Rex, uti Paradinus *f)* refert. Sic Galli quidam Typographi *g)* pro insignibus habent Salamandram igne circumdatam.

5. Testimonia.

§. 6. Hisce tanquam velitibus, qui pro vita Salamandræ in igne dimicant præmissis, succedunt jam gravioris armaturæ milites, puta testimonia tam Veterum, quam Recentiorum Philosophorum, Medicorum, Patrum, Historicorum atque Poëtarum. In quorum citatione ita versabimur, ut juxta seriem ætatum, quibus unusquisque eorum orbem hunc scriptis suis illustravit, eos producamus. Eo enim luculentiùs opinionis hujus antiquitas apparebit.

Aristotelis.

§. 7. Omnium Antesignanum haud immeritò dixeris Magnum Stagyritam, Magnum, inquam, utpote cujus autoritas

cœte-

a) Naz. in Vit. Basil. M. vid. Hoesch. not. ad Hor. l. c. *b)* Comment. in Dan. 3. v. 50. *c)* vide Quilelm. Paris. Vol. I. de Morib. fol. 149. *d)* Camer. Emblem. Cent. 4. 69. *e)* Tabb. Chronolog. ad A. Chr. 1599. *f)* Paradin. apud Camer. l. c. it. Masen. Spec. Imag. l. 4. c. 9. qui idem Symbolum Joannis Regis Arragoniæ fuisse, ait, cum inscriptione: *DURABO*, l. c. §. 4. *g)* Vid. libros apud Choquet, Genevæ impressos.

cœteris plerisque ansam derit, ut hanc narrationem, vel simpliciter, vel pluribus figmentis cumulatam, aliis pro vera obtruderent. Verba ejus hæc sunt: *a)* ὅτι δ' ἐνδέχεται μὴ καίεσθαι σαύσεις πνῶν ζώων ἢ Σαλαμάνδρα ποιεῖ Φανερόν. αὕτη γὰρ ὡς Φασι, Διὰ τὴν πρὸς βαδίζουσα, κατὰ σθένος τὸ πῦρ.

§. 8. Nicander *b)* antiquissimus Medicus & Poëta, Sa- Nicandri.
lamandræ meminithisversibus, quos ex Latinâ interpretatione Hieron. Mart. (Græcus enim textus ad manus non est) adscribo:

Præterea invisus Salamandræ morsus habetur,
Quæ rapidum & clarè ardentem secuta per ignem
Fertur, & absque ullo meat indefessa dolore:
Nec quicquam flagrans gradienti illi officit æstus
Vel ruptâ cute, vel quacunque in corpore parte.

§. 9. Plinius: *c)* Huic (Salamandræ) tantus rigor, ut ignem tactum Plinii.
extinguat, non alio modo, quam glacies.

§. 10. Hic jam inferendum esset Zoroastris testimonium, sed Zoroastris.
quia supra jam à nobis citatum est (sect: I. §. 13.) e ò Lectorem remittimus. Sane, si fides esset fabulis, quæ de antiquitate Scriptorum hujus Zoroastris, circumferuntur, testimonium hoc, ob summam vetustatem longè præferendum fuisset Aristotelico. Quia vero indubio adhuc est, quis nam fuerit ille Zoroaster, Persomedus sive Bactrianus, sive alius? Quo tempore vixerit? utrum aliquid scripserit? An ipsius sint hæc scripta, quæ adhuc extant & quæ sub ejus nomine in Geoponicis citantur? Cum potius verisimile sit, quemadmodum ejus oracula (quod operose contendit Lambetius *d)* Ita & hæc Geoponica, à Juliano Chaldæo Juniore, sive ab alio scripta esse, utique post Scriptores Seculi II. testimonium hoc (si ponamus interim Juliani Chaldæi esse) collocandum erat.

§. 11. Ælianus *e)*: ex Animalibus tametsi Salamandra non sit, quæ ex Æliani.
igne nascuntur, quales sunt Pyrigoni; contra tamen hunc ire audet, contraque illius flammam veniens, tanquam adversus hostem quendam, sic eam expugnare aggreditur. In sequentibus idem Ælianus testes adducit Fabros, quibus in arte sua fabrili remoram injecerit.

C

Sala-

a) Arist. l. 5. Hist. Anim. c. 19. *b)* Nic. in Thes. p. 306. Alter hujus Poëtæ locus, in quo replevit hanc sententiam occurrit in Alexipharm. p. 329. *c)* Plin. l. 10. c. 67. Hist. Naur. *d)* Histor. Rei liter. l. 1. cap. 7. p. 93. *e)* Æl. de Anim. l. 2. c. 31.

Salamandra, ignem extinguendo; quos Fabros ignibus suis haud uti potuisse, usque dum sustulerint Salamandram, idem refert.

Qv. Seren.
Sam.
Philia.

§. 12. Quintus Serenus Sammonicus:
Seu Salamandra potens nullisque obnoxia flammis.
His adde versus, quos habet Philes *b)* sic Latinè redditos:
Imperator hanc (Salamandram) videns miraberis,
Quod non tremiscat devorantis omnia
Ignis furorem, quem involans atrociter
Elidit, ac fornacis æstus enecat.

Theodorici.

§. 13. Ad Barbaros etiam migravit hæc opinio. Theodoricus *c)* enim Gothorum Rex de Jovino quodam cædis reo, & in Insulas Vulcanias relegando, ita scribit ad Faustum Præpositum: Salamandræ secuturus (reus) exemplum, quæ plerumque degit in ignibus, tanto enim naturali frigore constringitur, ut flammis ardentibus temperetur. Subtile ac parvum Animal, lumbricis affocium, flavo colore vestitum: vitam præstat soli, qui mortalia cuncta consumit. Ipse Cassiodorus *d)* sic scribit: Salamandra incendio reficitur, & ignis calore reparatur.

Cassiodori.

Augustini.

§. 14. S. Augustinus utitur exemplo Salamandræ ad redarguendos Adversarios, ejus hæc sunt verba: *e)* Quibus (negantibus humana corpora animata atq; viventia in æternorum ignium durare tormentis) respondebimus esse, animalia profectò corruptibilia, quia mortalia, quæ tamen in mediis ignibus vivant. Et non multò post in eadem disquisitione: Quapropter, si ut scripserunt, qui naturas animalium indagarunt: Salamandra-- & quidam notissimi Siciliæ montes satis idonei testes sunt, non omne, quod ardet, absumi. Adjungerem Episcopo Hipponensi S. Nazianzenum, nisi verba ejus, jam supra adducta essent. *f)* It. Olympiodorum *g)* Philosophum, nisi eadem in ejus testimonio legerentur, quæ in Æliani verbis supra citatis, adque Lectorem nunc remitto.

Olympiodori.

Autoris Kiranid,

§. 15. Transitum nunc facimus ad ætatis mediæ scriptores. Inter quos referendus mihi videtur *Autor Kiranidum*, qui Arabicè scripsit, quisquis ille tandem sit. Verba ejus olim ex Arabico in Græcum & postea ex Græco in Latinum

a) Seren. apud Dale champ in Plin. p. 490. *b)* Phil. apud Schott. Phys. l. 7. cap. 8. Quo tempore Philes vixerit, mihi nunc non occurrit. *c)* apud Cassiod. Var. Epist. 47. lib. 3. *d)* Cassiod. de Anim. c. 19. p. 835. *e)* De Civ. Dei l. 21. c. 4. *f)* §. 4. Sect. 1. *g)* Olymp. Comment. in l. 4. Meteor. Aristot. c. 4.

tinum sermonem translata hæc sunt *a)* *Animal* (Salamandram intelligit) *in Camino vel igne missum flammam omnem extinguat. Reliquas ejus ineptias de hoc animali hic non describo. Huic alium subjungo Arabem, Avicennam, b)* (qui rectius ab aliis E-bensina vel Alibensina vocatur.) Hic contra morsum Salamandrae remedia propositurus, ait; *Salamandra aestimatur esse bestia Lacerta similis, habens quatuor pedes, & caudam curtam, & quod ipsa non adurit, et si projiciatur in larem, extinguat ignem. Procul dubio hæc desumpsit ex Magistro suo, quem sectatus est, Aristotele.*

Avicennæ

§. 16. Misiss Arabibus retrogredior ad Græcos. Suidas Lexicographus; *c)* ζῷον ὡς σαύρα τὸ μέγαθος, ψυχρότατον τὴν φύσιν, ὡς καὶ τὸ πῦρ εἰσδιδόμενον, τὴν φλόγα σβεννύειν, καὶ αὐτὸ μὴ πῖμαται.

Suidæ

§. 17. Alii Scriptores Græci, qui de vita Salamandrae in igne aliquid retulerunt, mihi non sunt visi. Reperiri autem quosdam, qui forsitan mihi non ad manus fuerunt, vel notitiam meam planè subterfugerunt, haud repugno.

§. 18. Ex Philosophis Latinis, qui seculo XII. & proximè sequentibus vixerunt, farraginem testimoniorum de nostra Salamandra conquirere, opus non est. Pleriq; enim, qui hac de re aliquid tradiderunt, illud ex antiquis Scriptoribus, à nobis jam citatis, descripserunt. Si quis tamen etiam hos degustare desideret, evolvat Vincentium Bellovacensem, *d)* qui opinionem hanc probat ex libro de Natura Rerum: Quilielmum, Episcopum Parisiensem, *e)* alios.

Philosophorum Latinorum recent.

§. 19. Illud prætereà addendum, nonnullos ex istis Philosophis in ea fuisse sententia, Salamandram ex igne alimentum capere, & unicò hòc elimentò nutriri. Lubethac de re adscribere, versiculos Latinos, licet parum politos, qui reperiuntur apud Barthol. Anglicum: *f)*

Quidam dixerunt Salan.

igne nutriri.

C 2

Tal.

a) Kir. libr. 2. p. 92. Quamvis hic Autor à plerisque credatur fuisse Rex quidam Persarum, cujus nomen fuerit Kiranus; adversatur tamen huic sententiæ summus Vir Claudius Salmasius, in prolegomenis ad Solinum; ubi docet Kirani sive Kiranides esse nomen appellativum, quo Arabes libros suos insignire soliti sint, idem sonare, quod apud nos Collectanea, & descendere ab Arab. rad. *كركر* collegit, unde & Turcorum Alcoran. *b)* in 2. Can. prout cit. à Bellov. spec. nat. libr. 20. c. 64. *c)* voc. Salam. p. 703 Tom. 2. *d)* Spec. nat. l. 20. c. 63. *e)* Quill. Par. præter locū supra §. 4. cit. de universo part. 1. f. 134. *f)* de propriet. Rer. l. 18. c. 20.

*Quatuor ex puris vitam ducunt Elementis;
Chamæleon, Talpa, maris allec & Salamandra.
Terra cibatur Talpam. Flammæ pascunt Salamandram.
Unda fit aleci cibus, aer Chamæleonti.*

His adjicimus alios ejusdem commatis versus, quos similiter superioribus proximis seculis, in claustris Monachorum dixeris primum concinnatos fuisse. Recitat eos Kornmannus: a)

Talpæ Terra cibus, Chamæleon in Aere vivit:

Halecunda fovet, Flammæ pascunt Salamandram.

Vulgus putavit (J. C. Scaligeri b) verba sunt) eam non solum ignem extinguere, sed & eo ali, neq; alibi posse vivere. Id quàm absurdum sit, omnibus notum est.

Vivere in igne
sublunari.

§. 20. Aliam adhuc sententiam valdè portentosam ex Ponzetto Gesnerus c) refert, ascendere Salamandram ad Ignem elementarem, Orbi Lunari finitimum, in eoq; vivere.

Quidam tri-
buerunt Sala-
mandræ
incombustibi-
lem pellem.

§. 21. Varias profectò mutationes Salamandra subire coacta fuit. Non satis erat quibusdam, eam flammis adjudicasse, sed etiam ex pelle ejus lintea confici, quæ igni resisterent, fabulati sunt. Nonnulli pilos & lanam, & quod mireris, pennas Salamandræ tribuerunt. Meminit Ant. Brasavolus quorundam, qui ex Salamandræ (animantis) cortice mappas, quæ comburi non possunt, factas putarent. Albertus Magnus d) adducit, qui dixerunt, inesse Salamandræ lanam quandam, quæ in igne non aduratur. Adde Vincentium e) de vestimento Alexandri Papæ ex hac lana; & Barth. Angl. f) de Cingulis regiis in igne purgari solitis, & de lucernis perpetuò ardentibus ex villosa Salamandræ pelle confectis. Pennas quoque, in ornatum credo, Salamandræ adjecerunt, uti videre est ex Alberto Magno g) & eruditissimo discursu Geraldii, quem Langius h) recenset. Et vix aliter fieri poterat, cum ipsa Salamandra in avem transformata fuerit, ut eam alicubi exhibet Quill. Parisiensis. i)

Lanam

pennas.

§. 22.

a) Templ. Natur. part. 1. confid. 18. b) Comment. ad Aristot. hist. anim. c. 18. l. 5. sect. 130. adde Coel. Rhod. A. L. l. 24. c. 21. c) apud Gesn. p. 77. d) de Natur. An. l. 2. e) loc. cit. de Alexandri vestimento eadem refert Obscurus ap. Gesnerum de animalibus quadrup. l. 2. p. 77. f) de propr. Rer. l. 18. c. 92. Eadem ferè repetit Arnoldus de Villa Nova apud Gesnerum loc. cit. g) apud Gesn. l. c. h) Epistolar. Medic. l. 1. Epist. 66. Confer etiam Ep. 13. i) part. 1. de Uiverso, fol. 161.

§. 22. Illud adhuc monendum est, antequam ad alia transeamus, à nonnullis scriptoribus quædam animantia cum Salamandra confundi. utpote Chamæleontem, apud Bellov. & Physiologum, item Cincindela[m] sive Nocti lucam, apud Aut. lib. de Nat. Rer. *a)* Albertum Magnum *b)* Vincentium *c)* & Majolū *a)* Contra Salamandræ attribuuntur, quæ ex veterum mente Chamæleonti competunt. Sunt enim, qui teste Gesnero *β)* à Salamandra ore hiante aerem captari dicant. Et id genus alia plura, quæ cum nugacis illius & inficeti seculi genium redoleant, huic dissertationi inferere religio mihi est. Hæc de Salamandra flammis invicta ex variorum scriptis adduxisse sufficiat.

§. 23. De aliis animalibus in igne viventibus haud meminisse aliquid me legisse, præterquam quod Schottus *γ)* ex Diogene Laertio refert, animalium aliqua absque coituigni, & ex horum numero esse, quæ in igne vivunt, & πυρρίβια vocantur.

SECT. III.

§. 1. Vidimus hætenus Autoritates, quibus Pyraustarum in igne ortus, & Salamandræ maxima vis contra ignem, firmari solet. Mirabitur quispiam Scriptores plerosque, quos longâ serie adduximus, nullas assertionis suæ rationes reddidisse. Facilis est responsio, videlicet alter præsuposuit semper alteri, quem descriperat, experientiam, quam contra omnes rationes validissimam esse putârunt. Nonnulli tamen partim jam citati, partim citandi, animadvertentes, nudam hanc traditionem, apud alios vix fidem impetraturam esse, fulcrum ei quasi verunt, aliud veteres, aliud recentiores, & quidem pro diversitate opinionum. Veteres hic ita se gerunt, ut putes eos animalium quorundam in igne generationem & habitationem, suafuros nobis fuisse, etsi nullus omnino hujus rei testis extitisset. Quamvis nonnunquam dubium sit, an de ignis sphaera sublunari seu elementari, an verò de igne culinari loquantur. Quicquid sit, patronum qui causam pro ipsis dicat, dabimus Mendozam. *δ)* Hic Veterum sententiam ita pronunciat: *Natura ordo & perfecta dispositio postulat, ut sicut in reliquis tribus ele-*

Quid Veterum nonnullos moverit ut animalia in igne statuerent.

C 3

men-

a) apud Vincent. l. c. *b)* l. 26. de Anim. *c)* l. c. *a)* Canicular. Colloq. 5. p. 164. *c)* l. c. p. 76. *γ)* Phys. Cur. l. 7. c. 8. *δ)* Virid. lib. 4. Probl. 16.

1492.
mentorum regionibus, terrestria, aquatilia & volatilia degant animalia, ita quoque aliqua sint, quæ in igneo degant tractu, ne inter elementa illud ponatur incultum & infrequens, quod cæteris nobilitate præstat.

§. 2. An Patronus iste verè ex veterum mente causam peroraverit, inquirendum est. Adducitur ab ipso ε) hanc in rem locus Aristotelis, in quo eum ita scribere perhibet: *Unumquodque elementum sedes & domicilium est aliquorum, quæ in ipso nascuntur & fiunt.* Aristotelis ζ) ipsius textum si evolvimus, deprehendimus eo in loco, quem citat Mendoza, à Philosopho manifestè innuè tria animalium genera, terrestre nimirum, aereum & aquatile. De quarto sive igneo, in sphæra ignis, quid Aristoteles in illo loco senserit, fateor difficilem esse conjecturam. Hoc certum est, Philosophus ibi, sive negativè, sive affirmativè concludat, innuit peculiare quoddam animantium genus, cujus natura planè diversa sit à natura reliquorum animalium, quæ globum hunc terrestrem, sive mediante aqua, sive immediatè inhabitant. Præteribimus itaque hâc vice Aristotelis locum.

§. 3. Quadripartitam animalium divisionem, etiam fundamenti loco supponit Philo Judæus, ut patet ex ejus verbis supra η) citatis: alterum ejusdem Scriptoris locum hac de re, notatu dignum nunc ascribimus: θ) *Ἀνάγκη γὰρ ὅλον δι' ὅλων τὸν κόσμον ἐμψυχῶσθαι, τῶν πρώτων καὶ στοιχειωδῶν μερῶν ἑκάστη τὰ οἰκεία καὶ πρόσφορα ζῶα περιέχοντες: Γῆς μὲν τὰ χερσαῖα, θαλάττης δὲ καὶ ποταμῶν τὰ ἐνυδρᾶ, πυρὸς δὲ τὰ πυρίγονα. Λόγος δὲ ἔχει ταῦτα καὶ μακεδονίαν μάλιστα γίνεσθαι.*

Idem alibi ι) his non prorsus absimilia tradit, quæ si lubet lege. Eodem modo argumentatur Apulejus: κ) *In quacunque parte Naturæ propria animalia versantur. Nam cum quatuor sint Elementa notissima, veluti quadrifariam Natura magnis partibus determinata quæ sit, propria animalia terrarum & flammarum, siquidem Aristoteles Autor est, in fornacibus flagrantibus, quædam animalia propria, pennulis apta volitare, totumque ævum suum in igne diversari, cum eò oriri, cumque eò extingui.* His ferè cōsentanea tradit Seneca,

λ) &

ε) l. cit. ζ) l. 3. d. Gen. Anim. c. 11. η) §. 10. sect. 1. θ) de Gigantibus, ι) Philo de Agricultur. p. 183. Ed. Paris. κ) de Deo Socratis p. 46.

λ) & Balbus Ciceronianus. μ) Adducitur quoque à Mendoza
 ν) pro sententia hac Ovidius ξ) in illo versu:

Ne regio foret ulla suis animantibus orba.

Sed Ovidius in recensendis istis animalibus, ubi ad ignea per-
 venit, astra subinnuit, quæ animata esse, & in æthere vivere pu-
 tabantur, ut aliàs dictum. Itaque testimonium ejus ad præsens
 negotium, ubi de veris animalibus sermo est, minus rectè ac-
 commodatur.

§. 4. Apparet ex his, quid ansam dederit nonnullis, ut ani-
 malia in igne viventia, partim ipsi confingerent, partim ab aliis
 excogitata propugnarent: nimirum antiqua illa lateque disse-
 minata opinio, naturam in hoc Universo inter formas nullum
 vacuum in expletum reliquisse. Admittendum autem esse pu-
 tabant ejusmodi vacuum formarum, si non quemadmodum æ-
 reum, terrestre & aquatile, ita etiam igneum quoddam exi-
 steret animalium genus.

§. 5. Si quis verò inquireat, ecquânam ratione fieri possit, ut
 animalia in voracissimo Elemento generari, vivere, ejusque
 violentiam sustinere queant, parum hac de re apud Veteres
 reperiet. Plinius saltem alii que pauci, quod Salamandra
 ignem extinguat, & ab eo haud uratur, causam quæsi-
 vissent, in insigni hujus animantis frigiditate. Recentiores itaque,
 qui hac in parte veterum susceperunt patrocini-
 um, audiamus ne-
 cesse est. Hi, etsi nullum à propria experientia deductum argu-
 mentum in aciem producere queant, variis tamen modis opi-
 nioni veterum aliquam conciliare student probabilitatem.
 Ipsosmet videamus.

Rationes
 Quibus re-
 centiores ani-
 malium in
 igne ortum
 propugnant,

§. 6. Principem inter eos locum obtinet subtilitatum Magi-
 ster J. C. Scaliger, ο) qui Cardanum laudat, quod Pyraustas di-
 xerit ex recrementis oriri, in eo verò reprehendit, quod dixe-
 rit, eas è putredine generari. Si ipsius Cardani π) scripta
 evolvimus, negat in illis, Pyraustas in igne generari; sed in
 ignis vicinâ parte oriri, asserit. Quodnam autem assertionis
 suæ

λ) Nat. Quæst. l. 5. c. 5. & 6. μ) Cic. lib. 1. & l. 2. de Nat. Deor. ν) Virid. p. 266.
 ξ) Ovid. l. 1. Metam. ο) Exercitat. 9. & 23. & 194. de Subtil. π) Cardanus de
 Subtilis. l. 9. p. 657. & act. 1. in calum. p. 1301.

suæ fundamentum ponit Scaliger? Audiamus eum ita intonantem: *Ferulæ castigandi sunt, qui hoc quasi temere proditum ab Aristotele calumniantur, temerarii ipsi reprehensores, cum ea quæ nuper in aliis terrarum mariumque tractibus inventa sint, contemplamur, omnia jam libet credere. Et scabest ratio. In metallis nisi esset humor, non fluere.* Quid impediatur naturam, quo minus ei formam dei? Paulò post objectionem aliquam contra Cypriæ volucres Aristotelis, à silentio Galeni, qui & ipse Cyprum inviserat, desumptam, diluere conatur. Respondet autem variis modis: *Galenum si quid hac in re ab Aristotele falsò proditum cognovisset, id tanquam mendacium ei, cuius famæ maculam aspergere volebat, obiecturum fuisse: Galenum cum per septem dieculas in Cypro egerit, Pyraustas illas non vidisse, aut non rogasse fornacarios, aut ut rem vulgatam neglexisse. Ipsa verò generationem ita confirmat: Nihil prohibet humidissimo elemento humidissimas generari animantes, cuiusmodi pisces sunt, nihil in siccissimo siccissimas, &c.* Hæc verbosius exscribenda erant, quia Scaliger id præcipuè hîc agit, ut Aristoteli fidem conciliet.

§. 7. Locum Aristotelis de Pyraustis explicandû sibi quoq; sumsit Hieron. Mercurialis, g) eumque contulit cum loco Strabonis supra σ) citato. Existimat autem, Aristotelem atque Strabonem animalium horum generationem constituere ex igne, ranquam ex materia. Propterea creditu difficilia hæc pronunciat, quod ad animalium generationem necessariò tum calor tum humor requiratur, quorum hic ab igne maximè abest. Tandem ita concludit: *Animalia apparentia in fornacibus metallorum, potius crediderim ex terra metallis commixta, in qua nascuntur, erumpere, quam in igne ipso oriri.*

§. 8. Bustamantinus τ) cum duos diversos modos proposuisset, quibus Salamandra generari creditur, videlicet vel ex imbris, vel ex ovo, tertium quoque adducit & amplectitur, nimirum generationem in igne. Multa hac de re, confusè satis disputat, quæ vix videntur tanti esse, ut à nobis adducantur omnia. Nonnulla saltem ejus verba recitamus; *Nihil, ait, fieri vetat-ex igne elatis vaporibus viscidis, natura argentibus parte aqua junctamistæ materie, quæ exurit propitia Cæli influentia iis mistis apta, æstu medio progignentur,*

ut

g) variar. lect. libr. 3, cap. 14.
l. 6. cap. 2.

σ) Sect. 1. §. 9.

τ) de anim. script. sacr.

in Pyrigonia illa in fornace. In sequentibus eadem ferè repetit Bu-
stam, & tandem concludit: Hoc modo Salamandram vaporibus
illis alteratis dispositis in animantis formam oriri, &c.

§. 9. Invenerunt Pyraustæ recentissimè quoque patronos, & tales,
quos in harum rerum tractatione omne ferè punctum tulisse diceres:
forsan tamen non ipsæ invenerunt, sed Aristoteles, imò Aristotelis
autoritas. Nirenbergius υ) concedit in igne generari Pyraustas, sed
non ex igne. Ex quonam igitur? Ex aqua aut terrea substantia.
Nirenbergio calculum suum addit Schottus ϕ) cui probabilius vide-
tur, dicta animalia in igne generari ex materia fumis & vaporibus
mixta. Apparet ex his, consentire ferè Scaligerum, Mercurialem, Bu-
stam, Nirenbergium & Schottum in hoc, quod animalia ista in igne
generari dicant. Hæc ferè sunt, quæ pro generatione in igne sive Py-
raustæ sive Salamandræ afferri solent.

§. 10. Vitam, & innoxiam animalium quorundam in igne com-
morationem, maximè firmare solent exemplis quarundam rerum,
quas igni resistere experimento constat. Alii existimant, animalia
ista ab igne haud lædi, quod habeant temperamentum igni familiare,
ut videtur Schotto: χ) alii, quod frigidissima sint hæc animalia atq;
humida, quæ Majoli ψ) sententia est. Hæc omnia in sequenti capite
clariora fient.

C A P U T II.

§. 1. Dictum est hætenus, quid pro mirabili quorundam anima-
lium ex igne ortu adferri soleat, dictum quibus rationibus portento-
sa eorundem in igne habitatio fulciatur. Stetit hucusque Pyrausta-
rum ortus, viguerunt Salamandræ in mediis flammis. Postulat
nunc instituti ratio, ut quicquid in priori capite ex sententia quorun-
dam extruximus, in hoc capite funditùs evertamus. Ut opinio-
nem antiquissimam equidem, longâque testimoniorum serie stipatam,
infirmam tamen debiliq; superstructam fundamento, destruamus.

§. 2. Et primo quidem, ut ordine procedamus, ex Veteri-
bus illos aggredimur, qui naturam quasi cujusdam imperfe-
ctionis in simulandam esse putabant, nisi, ut reliquis elementis,
sic etiam igni, quædam indidisset animalia. Fateor equidem

Animalis in
igne gener.
& vitam
non probat

D

cum

υ) Histor. Natur. l. 4. c. 18. ϕ) Physic. Curios. l. 7. c. 8. χ) loc. cit. ψ) Ca-
nicul. Dier. Colloq. 5.

cum sanioribus Philosophis atque Theologis, naturam senpo-
tius Autorem Naturæ, DEUM TER OPT. MAX. nihil intermi-
fisse, quod ad complementum faceret hujus Universi à se condi-
ti, sed tot talesque animantium formas, quales isti Philosophi
sibi confinxerunt, eum produxisse, illud negamus atque perne-
gamus. Nihil itaque splendori hujus orbis decedit, etsi non
contineat animalia ignigena seu in igne viventia, neque Sapi-
entissimus Creator adhuc talia producenda obstrictus fuit. Si
ab initio Deus non produxit ejusmodi animalia ignea, adhuc
tamen vacuum suum informe admittere cogentur, qui illud
exterminare cupiunt. Quod autem Deus non condiderit e-
jusmodi animalia, patet ex historia Creationis, in qua duo sal-
tem elementa memorantur, ex quibus Deus prodire jussit uni-
versum animantium genus: tribuitur autem aer avibus eam,
ob causam, quia aves eundem, maximam ævi sui partem, libe-
rè pervagantur. De igne autem ubique est silentium. Si Liba-
vio ω) conservationem rerum & generationem in natura institu-
tâ, licuit appellare imaginem creationis; cum nobis nō liceat crea-
tionem vocare imaginem cōservationis? Ille sic concludit: Vo-
luntas posterior conservativa, illustrat antecedentem crea-
tivam, itaque ex vitâ concludere de materia creationis licet.
Quid obstat quo minus nos idem inverso modo dicamus? Hæc
animalium partitione, interrestria, aquatilia, & aere ipse Spi-
ritus Dei ω) utitur.

§. 3. Tripartitam hanc animalium divisionem non sacra solum
pagina comprobatur, sed & scriptores profani observarunt. Quod
imprimis ex Varrone α) patet. Pleriq; autem aeri tribuunt aves. His
etiam Imperatorem Justinianum accedere Magius β) probat. Ignem
verò animali generando materiam neutiquam præbere, iis visum est,
ideoque cum Vestæ nomine ignem intelligerent, & ipsam Virginem
fecerunt, & virgines ei consecrarunt. Quo referas Ovidii versus: γ)

*Nec tu aliud Vestam, quam puram intellige flammam,
Nataq; de flammis corpora nulla vides.*

Quam
 ω) Confer Psal. 8. v. 9. & ut Ravanellus existimat, fundatur hæc partitio quoq; in
Genes. 1. v. 28. Deut. 4. v. 17. Sophon. 1. v. 2. α) Libav. d. Univ. rer. hypomn. ad l. 6.
Sect. 21. α) L. 4. de Ling. Lat. β) ex Instit. da Jur. Nat, Gent, & Civ, §. 1. & de
Rer. Div. §. feræ. Miscellan. l. 1. c. 21. γ) C. Fastor.

Quam elegantissimam observationem Viro doctissimo Anton. Mu-
reto d) nos debere, libenter fatemur.

§. 4. Ad magis specialia descendamus. Ubi ante omnia monen-
dum est, auctoritatem Veterum, ad stabiliendum quorundam anima-
lium ex igne ortum, neutiquam sufficientem esse, licet hæc imposu-
erit Clarissimis Viris, Scaligero, Majolo, Nirenbergio, Schotto
aliisque, ut admitterent Pyraustarum historiam. Didicimus & nos
Aristoteli, aliisque priscis Scriptoribus fidem adhibere, sed ita, ut eti-
am aliquid rationibus, atque recentiorum observationibus tribua-
mus. Nec verò quicquam moramur Scaligeri invecivas in eos, qui
aliquid fabulosi Veterum traditionibus hac in re subesse putant.
Certè Scaliger in hac disputatione ita se gerit, ut facilè intelligas,
eum impatienti, Aristotelem excusandi, desiderio abreptum fuisse.
Ipsam Aristotelem quod concernit, an hæc de Pyraustis ex aliorum
mente, an ex propriâ sententia retulerit, nobis parum interest. Pri-
us arripiunt Conimbricenses, ε) Hoc certum est, Aristotelem hæc ex
auditu referre, proprio verò experimento haud quaquam inniti.
Scio adversariis in promptu erit ad hæc regerere: Probabile potius
esse, Aristotelem fuisse ἀποβάνων hujus rei, non tam quod ipse Cy-
prum peragrasse videatur, quam quia in enarratione hujus historiæ
tot adjecit circumstantias. Meminit Chalcitis lapidis; item æraria-
rum fornacum: item magnitudinis horum animalculorum; sed re-
spondeo, non obstantibus his circumstantiis (illam de ærariis forna-
cibus non admitto, nihil enim hac de re in textu Aristotelis) nostram
sententiam veriorē esse, quia, si Philosophus hanc de Pyraustis
historiam experimento deprehendisset veram, in aliis locis manifestè
sibi contradixisset. Reperio autem tria præcipuè loca, ex quibus
hæc contradicção probari potest. In primo ζ) dicit Aristoteles: *Nihil*
ex glacie generatur neq; ex igne: In altero: η) *in terra & in aqua*
solum animalia sunt, in aere autem & in igne non sunt, quia corporum
materia hæc. In tertio: θ) *Ignis nullum animal generat, neq; con-*
stitui quicquam densis vel humidis vel siccis videtur. Hanc objectio-
nis

D 2

nis

δ) Variar. lect. 1. 16. c. 2. ε) in librum 1. Aristot. de generat. & corrupt. c. 5. qv. 7. &
in probl. ad libr. Aristot. de Cælo sect. 4. p. 547. ζ) de generat. & corrupt. l. 2.
c. 3. text. 21. η) Meteorol. l. 4. c. 4. θ) de generat. animal. l. 2. c. 2. Nescio quid
in mentem venerit Keckermanno, qui probaturus ex Aristot. nullum animal in
igne vivere, adducit l. 5. c. 19. Hist. cum ibi Arist. contrarium asserat, Idem acci-
dit Aldrovando de Insect. l. 6. c. 2.

nis sagittam prævidens Nirenbergius, ex coque Schottus, eam sic declinare iatagunt, ut dicant, in illo loco (quem solum putant pro contradictione adduci) in quo dicit Arist. *ἔδεν γίγνεται ἐν πυρὶ* &c. sermonem esse de generatione, quæ fit ex igne, tanquam ex materia: In hoc autem loco, de generatione, quæ fit in igne. Hac ratione putant, se Philosophum à contradictione liberaffe, Sed inspiciant, quæso, verba Aristotelis, quibus negat ullum animal in igne vivere, quæ scio ab iis observata haud fuisse, Sed hæc leviora sunt.

§. 5. Aliam medicinam locò Aristotelis de Pyraustis adhibere conatur Pererius. 1) Postquam enim exemplum de Pyrigonis ex Aristotele aliisque adduxisset, de eo sic Pronunciat: *Illæ verò animalia propterea dicuntur vivere in igne, non quia vivant in mediis flammis posita, sed quia nisi in calidissimis locis & juxta ignem vivere non possunt.* An hæc Aristotelis mens fuerit vehementer dubito. Aristoteles certè ait, animalcula ista generari *ἐν πυρὶ*, non ergo juxta ignem. Nec video, quâ ratione Arist. ea *ἐν αὐτῷ τῷ πυρὶ* generari dicere potuisset, si juxta ignem oriri statuisset. Nihil enim obstat, quo minus aliquid non procul ab igne ex materia putrida generetur. Illud facilius concesserim, deprehensa primum fuisse ejusmodi animalcula pennata, sive in Cypro sive in Eubocæ oppido Carysto, sive alibi, quæ non nisi propè ignem ævum suum transegerint. Uti Bodinus *) recenset, Pyraustas domesticum quoddam Locustarum genus, in Caminis & fornacibus versari. De quibus idem paulò post ita pronunciat: *Circa fornaces in cavernulis à vapore calido humido gignuntur, ealoribus foventur, nusquam tamen in ipsis ignibus versari conspiciuntur, quin potius in ignem conjectæ uruntur & moriuntur protinus.* Qui autem primus ejusmodi volucres juxta ignem, forte à longinquo conspexerat, putavit ex igne oriri, & ignem involare. Cui narrationi alii subindè plura addiderunt.

§. 6. Quæ Scaliger de silentio Galeni ad salvandam Aristotelis autoritatem disputat, digna non sunt, ut à nobis prolixè discutiantur, *Κεττήρια* certè, quæ pro sua sententia affert, eadem facilitate, qua ipse probat, à nobis improbantur. Multa mirabilia, ope præprimis navigationum, inventa esse, neutiquam diffitemur, sed de animalibus igneis apud Scriptores recentio-

res

*) Commentar. in Daniel, l. 3. p. 147. *) Theatr. Natur. l. 3. p. 310.

Conjectura
de opinionis

Origine.

Respondetur
Scaligero.

res fide dignos altum ubique est silentium. Si Scaliger aliquid experiētiā, sive ex fide digna relatione, hac de re compertum habuisset, haud dubiè illud ad Aristotelis auctoritatem stabi-
liendam, in medium allaturus fuisset.

§. 7. Jam, quibus potissimum rationibus opinio de animali-
bus ignigenis confutari possit, videamus. Præmonendum hîc
est, dupliciter aliquid posse dici in igne generari. 1. Ut mate-
ria generationis constituatur solum elementum, sive ipsa ignis
substantia. 2. Ut generatio quidem fieri dicatur in igne, non
tamen ex igne, sed ex materia igni immista terrea aut humida.
Generationem prioris modi à veteribus admissam fuisse cen-
sent nonnulli recentiorum, sed cum nimis inepta sit illa sen-
tentia, crediderim potiùs, eos plerosque modum posteriorem
generationis in igne, intendisse. De Aristotele saltem dubium
non est, quin Pyraustas hoc posteriori modo oriri dixerit, ut re-
ctè advertunt Nirenbergius & Schottus λ) & notatur hac de cau-
sa Theod. Gaza à Scaligero, μ) quod verba Aristotelis ἐν πυρὶ γί-
νεται transtulerit: *in medio igne nascuntur*. Ad priorem modum
magis accedere videtur Plinius, Ælianus, & Seneca, qui igni
tribuit vim vitalem. His accenseri possunt illi, qui teste Sen-
guerdio, ν) Salamandram ex ipso elemento ignis oriri credide-
runt. His itaque, qui hanc propugnant generationem, sequen-
tes opponimus rationes.

Nullam ani-
mal generatur

§. 8. 1. Omne corpus vivens est mixtum, si mixtum, constat ex
quatuor elementis, & consequenter habet in se temperiem pri-
marum qualitatū, sine qua consistere nequit, quod patet è
contrario, corrumpitur enim corpus, ex dissolutione prima-
rum qualitatū. Si autem omne corpus vivens est heteroge-
neum, sequitur non posse generari ex homogeneo; ignis autem
etsi impurus, est materia homogenea sive corpus simplex, qua-
renus opponitur misto. Ita sentit Aristoteles ξ) Conimbricen-
ses ο) Senguerdus π) & alii. 2. Omnia vivētia generantur ex
humido, nihil verò generatur ex materia nimis sicca, qualis de-

ex Substantia
ignis.

D 3

pre-

λ) loc. cit. μ) Comment. in Histor. Animal. Aristot. lib. 5. c. 18. Confer eundem
Exercit. 23. ν) Exercit. Physica 38. ξ) de generat. & corrupt. l. 1. cap. 10. & l. 2.
c. 8. ο) ad Aristot. de gen. & corr. l. 1. c. 10, qv. 2, & ad lib. 2, c. 8. π) loc. cit.

prehenditur esse ignis. Multo magis, quæ æquivocè generantur, necesse est ex humido oriri, nimirum ex putredine, quod manifestè innuit Aristoteles, ε) Mercurialis. σ) Ignis autem nequaquam putrescit, teste eodem Philosopho. Excipiet forsan aliquis, non quidem ex elemento ignis generari vivens mixtum, sed tamen ejusmodi vivens, cujus natura respondeat illi Elemento, cui ortum debet, & ita ex igne nasci animalia flammida, ut Apulejus τ) vocat. Itaque dicendum 3. Si animalia ejusdem naturæ essent cum igne, easdem etiam obtinerent qualitates, consequenter ascenderent motu suo naturali, & ad locum proprium, sphaeram puto ignis (ex Aristotelis hypothesebus loquor) properarent. 4. Quibus rationibus Thomas Aquinas υ) probat, *nullum aereum animal esse; cum corpus organicum esse nequeat, nisi terminum figuramq; adipisci queat*: lis etiam nobis, animalia illa flammida naturâ rerum exterminare, liceat. 5. Aliam Aristotelis φ) probationem adducimus: Existimat ille, calorem in semine esse, cujus natura respondeat calori cœlesti, & faciat, ut semen fecundum sit, &c. Illum dicit nequaquam ignem esse, postea concludit, E. Ignem nullum animal generare. Magistri sui mentem explicat Averroes: χ) *Ex igne, ait, apertum est, non gigni animal, neq; tandem ullum animatum: ejus enim naturæ non est præstare formam & figuram alicui rei: Et paulò post: Ejus naturæ non est conservare Entia, longè minus præstare iis figuram & formam.*

neque ex materia igni immista.

§. 9. Nullum animal generari ex materia igni immista ita probamus: Animalis materia, antequam formæ uniatur, præparari debet ad recipiendam formam. Hæc autem præparatio non nisi lentè & successive fieri potest. Ignis autem violentus motus isque continuus, subjectam materiam haud patitur quiescere, adeoque nec sensim alterari, nec ad partes debitas disponi. Quæ ratio cum primis arridet Clariss. Senguerdio, ψ) viro, in natura animalium scrutanda, exercitatisimo. Etiam si itaque in igne sive in subjecto ustibili sit materia humida & terrea

ε) Meteor. c. 1. l. 4. σ) Var. lect. l. 3, c. 14. τ) de Deo Socr. p. 46. υ) de malo mater. 16. qv. 1. φ) de gener. an. l. 2, c. 3. χ) in paraphrasi ad Aristot. loc. cit. p. 75. Hanc ipsam Philosophi sententiam latius explicat Aldrov. de. Insect. p. 2, ψ) loc. cit.

rea, juxta Nirenbergium, & Schottum: terra metallis com-
mixta, juxta Mercurialem: vapores visceri & algentes, juxta Bu-
stamantinum; humor metalli juxta Scaligerum: Natura tamen
ignis non admittit, ut ista materia in animantis formam alte-
rentur, quod tamen Bustamantinus praesupponere videtur, ut
patet ex ejus verbis supra citatis. Aliud Argumentum contra
generationem animalis in igne, à voracitate ignis desumptum,
postea urgebimus, ubi vitam animalis in igne destructuri fu-
mus, simulque ad objectiones respondebimus.

§. 10. Accedimus jam ad alteram problematis nostri partem,
qua quaeritur, utrum animal, & in specie Salamandra & *πυρρί-
γωνα* in igne vivant, nec ne? Affirmativam ut teneamus, suadet
ejus antiquitas, & tot veterum scriptorum testimonia. Quibus
tamen non obstantibus, negativam amplectimur. Ut autem veri-
tas eò magis elucescat, in ipsam hujus traditionis originem in-
quirere juvat, quod eò commodius fiet, si de vera natura & con-
stitutione Salamandræ, quâ recentioribus visa est, quâq; veterum
nonnullis innotuisse credibile est, aliquid præmittamus. Notân-
dum, Salamandram esse Lacertæ speciem (hinc factum, ut à qui-
busdam malè pro verme venditaretur, monente Gesnero)
α) venenatam, α) frigidissimam, β) cute disrupta sed scabrio-
ri & asperiori. Quod posterius in primis patet ex effigie Sala-
mandræ, quam ad vivum expressam exhibent Gesnerus γ) Jac.
Grevinus δ) ex Matthiolo, Camerarius ε) & Schottus. ζ)

Vera Salamandra
constitutio.

§. 11. Indicandum autem primo est, quâ ratione Salamandra
per aliquod temporis spatium non ita longum vel flammam
sustineat, vel prunis imposita eas extingvat. Scaliger inquit:
θ) *Salamandra prunis injecta extinxit eas, non ut puto frigiditate, sed
lentore.* Idem ex propria experientia testatur Matthiolus, ι) Ob
frigiditatem suam igni resistere Schottus κ) existimat, & Jo-
rach λ) qui tamen malè pro hac sententia citat Aristotelem, no-
tatus proinde à Gesnero μ) Alia adhuc hujus rei ratio, & quidē,
meo judicio, non inepta affertur à Claremontano, ν) qui *Sala-*
man-

α) Hist. An. l. 2. de Ovip. quadr. p. 74. α) Gesn. l. c. p. 83. Majolus Colloq. Cani-
cular. 8. β) Gesner. p. 78. γ) p. 74. δ) de Venenis lib. 1. c. 29. ex Latina versione
Hier. Martii, Grevinus enim Gallicè scripsit. ε) Cent. 4. Emblem. 69. ζ) Phys.
108. θ) 3 Exercit. 185. de subtil. ι) In Dioscoridem apud Gesner. l. c. κ) Phys. Cur.
l. 7. c. 8. λ) apud Gesner. l. c. μ) p. 77. ν) de Venenis l. 1. c. 29.

mandram ex limo procreari existimat; qui limus deinde ita se in cutem insinuet, ut longissimo tempore in igne illæsa consistere possit, antequam ab eo absumatur. Similiter quoque Albertus Magnus ξ) hujus rei causam in pellis crasitie collocat.

ortum dedit
opinionem de
Vita ejus in
igne.

§. 12. Hisce præmissis facilem esse conjecturam puto, cur nonnulli scriptores etiam antiquissimi Salamandram non solum in igne illæsam consistere, sed & perpetuò victitare dixerint. Viderat fortasse aliquis Salamandram, quæ in ignem injecta, non statim in eo combusta fuit, sed eum lentore quodam & mucilagine per cutem effluente, sive mole corporis extinxit, vel crassa & limosa pelle sua ignem illæsa perambulavit. Hac de re cum fama ad alios perlata esset, qui minus attentè rem gestam perceperunt, iique porro nonnihil addiderunt, ut sæpe in repetitis narrationibus accidere solet (fama enim cresceundo, ut Poeta loquitur) nata primum est inde fabula, Salamandram simpliciter nihil ab igne pati; deinde ignem quemcunque extinguere: tertio in igne generari: 4. perpetuò in igne commorari atque etiam nutriri, & 5. (ne stultitiæ finis esset,) eam vivere in sphaera ignis elementaris lune subjecta. Hinc porro factum, ut etiam aliis rebus, quæ igni resisterent, nomen Salamandræ imponeretur. It: ut linteis quibusdam incombustibilibus tribueretur, quasi ex Salamandræ animantis cute sive pilis sive pennis, quas nunquam habuit, confecta essent. Ex hoc fonte persuasionem suam hausit Autor Kiranidum ο) Salamandræ cor gestatum, securitatem ab igne præstare, & audaciam contra incendium, & incremabilem reddere.

aliisque co-
gnatis fabulis.

it, nimia cre-
dulitas

§. 13. Quod autem tam veterum quam recentiorum quidam ad credendam fabulam de vita Salamandræ in igne, proniores fuerint, inde factum esse conjiciunt viri docti, quod plerique eorum Salamandram veram propriis oculis non inspexerint, & contra nimis propensè aliorum narrationibus fidem adjunxerint. Percurramus singula superius adducta Testimonia Autorum veterum, & à nullo propriam experientiam (quæ huic rei sufficeret) allegatam fuisse, deprehendere licebit. Aristotelē π) de Salamandra ex auditu locutum esse indicat *περὶ οὐρανίου*

εἰς μὲν, quum addit, ὡς Φασί, Plinius expressè refert, illud quod de ignis extinctione (per Salamandram) dicebatur, suo tempore Romæ adhuc incompertum fuisse. Imo, quod mireris, contigit hoc etiam recentioribus temporibus. Salamandra (verba sunt Grevini σ) celebris admodum fuit sub Imperio Francisci Regis potentissimi, quam ipse pro symbolo sibi elegerat. Famâ tamen solum, & nomine non aliter plerisque cognita fuit, picturæ enim omnes, quæ hætenus fuerunt ostensæ, tam veræ Salamandræ, quam asinus equo respondent. Quæ de re simile Judicium legas apud Gesner. τ)

§. 14. Quæ occasione Salamandra ignibus damnata fuerit, vidimus, quomodo & quando eisdem rursus fuerit exempta, operæ pretium est ut inquiramus. Quamvis autem opinio hæc antiquissima latè disseminata & à plerisque recepta fuerit, reperi tamen sunt Scriptores nō minus ob antiquitatē celebres, qui ei fidem detrahere ne utiquā dubitarunt, quos vel contrarium expertos, vel absurditate hujus opinionis eò adductos fuisse dixeris. Et, quod maximè nos confirmat, Medici fuerunt, qui diligentius in ejusmodi res inquisiverūt, quam laudē tantum abest ut ipsis denegemus, ut potius pro detecta veritate gratias agamus. Primus eorum, quos sciam, si fides est habenda August. Nipho υ) fuit magnus ille discipulus maximi Preceptoris, Theophrastus Eresius, qui testatur Salamandram in igne comburi, si in eo diu mansitet. Huic subjungimus Sextium, qui, (si ille est qui aquas Sextias condidit) Dioscoridem & Plinium antecessit, de quo habentur hæc Plinii φ) verba: *Sextius ignem ab iis (Salamandris) restinguere negat.* Consentit cum hoc Dioscorides χ) qui & ipse antiquissimus (Æra enim Christianam, quanquam brevī, antecessit) cujus hæc sunt verba: *Σαλαμάνδρα εἶδος ὄψις αὐγας, ὄψις δὲ νωχελὲς, ποικίλον, μάτην πιστεύειν μὴ καίεσθαι.* Idem paulo post in eodem capite, Salamandræ καίσεως, id est ustæ, meminit, Eadem clarissimè confirmant Galenus ψ) quem de mortua

1. Salamandram non in igne vivere,

Confirmatur,

Autoritate Vet. & Recent.

E

Sala-

ρ) lib. 29. c. 4. σ) c. 29. l. 1. de Ven. τ) quadrup. l. 2. p. 74. υ) apud Gesner. de Anim. quadr. l. 2. p. 77. Quo loco Theophrastus verba illa habeat, quæ citat Niphus, non additur à Gesnere φ) lib. 29. c. 8 hist. nat. χ) de Med. mater. l. 2. c. 67. A plerisque citatur c. 56.) Conf. in h. l. doctiss. annotat. Jan. Anton. Saraceni p. 32. ψ) 3. de Temperam.

Salamandra loqui falsò suspicatur Joach. Camerarius ω) contra Bordæum) Aetius, Antiochenus Medicus α) Paulus Ægineta β) Thomas γ) Matthiolus δ) Niphus ϵ) Agricola. ζ) Lonicerus, Hadamarius, Stæbe η) Grevinus θ) Pierius, ι) alique. Horum plerique propria experimento combustæ Salamandræ commoti, veterum fabulis de natura hujus animalis, ignibus invicta, diffidere didicerunt.

Resp. ad testim.
Æliani &
Olymp.

§. 15. Sed quomodo cavebimus nos ab Æliano & Olympiodoro, qui etsi non propriam experientiam, fabrorum tamen fide digna testimonia in contrarium afferunt? Responderi potest dupliciter, 1. Negando, Fabros illos omnia fideliter de Salamandra retulisse. 2. concedendo Salamandras obstitisse, quo minus ignis consuetò more flagraret, partim emissio humore aliquo, partim crassitie pellis, partim etiam pondere corporis, quo ignem obruerunt: id enim etiam aliæ res humidæ, frigidæ, crassæ, & ponderosæ efficere solent. Indè tamen non sequitur, Salamandram, si in ignem validissimum conjiciatur, cui restinguendo humor ejus non sufficiat, illam conservari. Hæc etiam de testimoniis, quæ pro & contra adduci solent, dixisse sufficiat. Quod *πυρίβια* Laertii concernit, quæ à Schotto & ab ipso Laertii Interprete Latino pro animalibus in igne viventibus venditantur, an talia Laertius revera intelligat, dubitare me facit Suidas, κ) qui *πυρίβια* explicat per *τὰ εἰς τὸ πῦρ πῶτοντα ζωῆφια*; & postea quasi Exemplum hujus significationis adducturus, subjungit locum Diogenis Laertii, de quo sermo est impræsentiarum.

2. Nec ullum
animal: con-
firm.
Rationibus.

§. 16. Rationibus nunc adversarios adoriæmur, quibus stabilitis objectiones, quas ipsi in contrarium afferunt, breviter quoque discutiamus. Cum autem diversæ sint opiniones, aliis afferentibus, animalia quædam in igne durare posse illæsa; aliis, extra ignem esse non posse, &c. diversis quoque solutionibus indigent. Prodigiousam illam opinionem, quod Salamandra vivat in igne sublunari, recitare est refutare. Qua ratione enim animali pateat accessus ad illum ignem, ad quem ne aves, (quæ tamen Poetis altivolantes audiunt) per-

ω) Emblem. 69. cent. 4. α) sermon. 13. c. 52. Ed. lat. Cornar. Bustam citat etiam Aet. ferm. 4. c. 52. β) apud Gesn. p. 79. γ) 4. sentent. dist. 44. qv. 3. δ) in Dioscor. loc. cit. ϵ) ap. Gesn. l. c. ζ) ibid. η) apud Bustam. de anim. script. sacr. l. 6. c. 2. θ) de Venen. l. c. ι) Hierog. l. 16. c. 24. κ) in voc. *πυρίβια*.

pertingunt, quippe quarum nulla ultra Olympi verticem sublimatur, ut loquitur Apulejus? λ)

§. 17. 2. Illis, qui dicunt animalia ita vivere in igne, ut eum non nisi cum dispendio vitæ excedant, & in igne nutriantur, opponimus 1.) si animalia ista in igne perpetuò viverent, non possent respirare: desumptis à respirationem autem omnibus animantibus, quæ pulmone & sanguine prædita sunt, necessariam esse, communis est Philosophorum sententia. Ita expresse Aristoteles. μ) Vide etiam Conimbricenses. Imò & iis quæ pulmone carent, ut insectis & exsanguibus, analogicâ saltem respiratione, seu potius refrigeratione, opus est. Nullum enim est animal, quod non gaudet interno calore, qui vel extinguitur, immodici frigoris appulsu, vel marcescit (in pedestribus) refrigerantis aeris defectu. Necesse itaque est, ut aere circumstante temperetur. Illa enim quoque animalia μικρὸν ἔχοντα τὸ θερμὸν μικρὰς δέοντα τῆς βοήθειας, quæ modicum habent calorem, modico indigent auxilio, id est, refrigerio, verba sunt Philosophi. ν) Videatur de his idem Aristoteles ξ) Conimbricenses ο) Keckermannus, π) Hinc Pererius ρ) inter miracula, quæ contigerunt circa conservationem trium sociorum Danielis in fornace Babylonica, etiam illud refert, quod Juvenes isti in igne potuerint respirare & liberè loqui. Apparet itaque nullum animal in mediis flammis positum, naturaliter respirare, adeoque nec vivere posse, quod ipsum in problematis nostri solutione Mendoza σ) animadvertit.

§. 18. Porro animalia ex igne nutrimentum accipere propterea negandum est, quia nullum elementum simplex, id est, quatenus nutritione extra mistum consideratur, nutritionem animali præstare potest. Omne enim alimentum assumptum, converti debet in substantiam rei viventis, adeoque proportionatum esse debet rei alitæ. Ignis autem cum sit simplex, converti in substantiam animalis, quod compositum est, nequit. Videantur Albertus Magnus τ) Conimbricenses υ) & Mendoza. Senguerdus ignis voracitatem intensum calorem & siccitatem obstare dicit, quo minus sit alimentum Salamandræ. Nec

E 2 ex

λ) De Deo Socr. p. 45. μ) de respirat. c. 1. & Conimbr. in comment. ad Aristot. loc. cit. c. 4. ν) de resp. c. 9. ξ) ibid. c. 8. & 9. ο) in Comment. c. 1. & 4. π) Syst. Phys. l. 3. c. 18. ρ) Comment. in Daniel. l. 4. p. 143. σ) Virid. l. 4. problem. 26. τ) in op. de nutrim. υ) in Aristot. de gen. & corr. c. 5. qv. 7. Mendoza l. c. problem. 23.

ex materia fumida & vaporosa animalia ista nutriri possunt, cum illa non satis idonea sit, ut in substantiam animalis convertatur. Porro alimentum trahitur à ventriculo, fumida autem ejusmodi substantiâ, cum naturam ignis imitetur, in caput ascenderet, ut videmus in odoribus. Quod rectè ostendit Philosophus ϕ) contra Pythagoræos: & Dd. Conimbricenses χ) contra Quill. Parisiensem qui fumidam exhalationem nutrire dixit.

temperamento

ut Cardanus
 ψ) & alii.

$\S$. 19. Restant adhuc ut probemus nulla animalia juxta consuetū naturę cursum inoffensa inflamnis perdurare posse ad longū temporis spatium ob excessum caloris. Quibus ante omnia opponimus: Ad vitam animantium requiritur certa temperies primarum qualitatum, sine qua sensio tactus exerceri nequit. Neminem autem puto (quod posterius attinet) animalibus tactum denegaturum esse. Illa temperies, qualis qualis sit, nullo modo consistere potest cum summo calore. Qui existimant animalia ista ignis patientia esse ob summam frigiditatem, oppidò falluntur: Ignis enim eò magis aget in contrariam sibi qualitatem: & posito, Pyraustam vel Salamandram esse frigidam in summo gradu, quia tamen ignis etiam in summo gradu calidus est, eam, licet contraria qualitate maximè insistat, tandem absumit. Vide Aurel. Coqueum ω) Aliam Sententiam Schotti verba præ se ferunt, qui animalia ista igni resistere existimat non frigore nec antipathia seu odio naturæ; sed temperamento proprio igni familiari. Quibus rehero; Si ponamus quasdam res inanimatas, ejusmodi temperamento præditas esse, non idem tamen fingendum est in animalibus, quæ partibus dissimilaribus iisque mollibus constant, quæ voracitati ignis ordinariè non resistunt. Quibus addo: Si pyraustę ex ipsius Niremb. & Schotti concessis (quibus addere licet Scaligerum, aliosque pyrigenum patronos) ex materia terrea & humida generantur, id est ex duobus elementis frigidis, necessariò erunt constitutionis maximè frigidæ: Sic autem patientur ab igne utpote a quo ob contrariam qualitatem maximè diffident.

$\S$. 20. Alia quædam dubitandi momenta nobis adhuc solvenda sunt, antequam dissertationi huic finem imponamus. Afferuntur ad sententiam nostram infringendam Exemplarum

ϕ) de sens. c. 4. χ) loc. cit. ψ) De subtil. l. 9, p. 654. ω) Comment. in August. de Civ. Dei l. 12, c. 4.

rum tam inanimatarum quam animatarum, quæ tum præscis
tum nostris temporibus in flammis integra consistere depre- Resp. ad Ob-
hensa sunt, ut Lapidis Carystii, Amianti, Pyrimachi, Adaman- jectiones,
tis, (qui ne quidem calefieri creditus est) Lini Asbestini, Carpa-
sii: quæ omnia ab igne haud læduntur. Imo lintea ex filamen-
tis Amianti, Salemandræ Tartariæ & Lino Asbestino contexta
puriora in igne reddi experimento nonnulli probant. Et plu-
ra exempla afferri possent, si opus esset. His autem exemplis
in contrarium allatis veritatem denegare videtur Pererius. *a)*
Omne corpus, ait, ex Elementis compositum, & communem habet ma-
teriam cum igne, & ei reliqua qualitate contrarium esse necesse est,
quamobrem si ponatur in igne, fieri non potest, quin ignis in ipsum agat,
præsertim cum caloris magna sit efficacitas, & in igne summus calor.
Secutus procul dubio est Thomam *β)* cui nullum corpus cor-
ruptibile diu in igne illæsum conservari videtur. Quia tamen,
ut diximus, mappas quasdam, si in ignem conjiciantur, purio-
res extrahi, experienciâ constat, universaliter cum Pererio con-
cludere nolumus.

¶ 21. Missa itaque Pererii responsione ita dicimus: Esto cor-
pora quædam inanimata ejusmodi naturam habere, ut in
medio igne nec incalescere, nec flammam concipere, nec consu-
mi queant, inde tamen non efficitur, idem accidere corporibus
animatis vivis, quæ sentiendi facultate prædita sunt. Repete
superius dicta. Committitur argumento illato Elenchus pa-
rium cum longè alia sit ratio animalis, quam corporis quod
sensibus eorumque organis destituitur. Nihil itaque proba-
rent argumenta Vitruvii *γ)* & Fallopii, *δ)* si firma essent, (falsi-
tatis enim hæc coarguit Pincier) *ε)* quibus ille laricem arde-
re negat; hic adamantem in igne nec incalescere, nec ardere,
nec consumi evincere conatur. Quorum primum hoc est,
quod pori adamantis adeò sint compressi, ut ignem quantum-
libet subtilem non transmittant. Posito verum hoc esse de ada-
man-

E 3

a) Comment. in Dan. l. 4. *β)* In 2. dist. 15. qv. 2. art. 2. ad 1. *γ)* Architect. l. 2.
cap. 9. *δ)* 8. de fossil. *ε)* Lib. 2. Enigm. 36.

mante, non tamen idem verum est de animantibus, cum, ut Physici docent, etiam per poros fiat transpiratio. Et esto, animalia quædam habere cutem tenacissimè compactam, adhuc tamen per organa sensoria igni patebit aditus ad interiora.

§. 22. Progredimur ad res animatas, quibus animalis in igne vitam stabilire contendunt. Trahunt huc nonnulli Pierio teste ζ) Hirporum familias, De quibus hæc refert Plinius: (η) *Hand procul, ait, urbe Roma, in Faliscorum agro, familie sunt, paucæ quæ vocantur Hirpiæ; quæ sacrificio annuo, quod fit ad montem Soractem Apollini, super ambustam ligni struem ambulantes non aduruntur.* θ) Solinus, *Hirpos insultare ardentibus lignorum struibus* ait. Quod ipsum etiam Strabo ι) refert. Et patet ex Virgilio κ) & Silio Italico. λ) De Vatibus Ægyptiorum refert Jamblichus μ) *eos cum Dei afflatu implerentur & incitarentur, non nunquam ambulasse per medios ignes.* Recentiora adhuc exempla objiciunt. Audiamus Pierium: ν) *Ætate nostra, ait, vidimus Romæ Benedictum quendam Teutonicum, arte speculorum fabrum, qui non temerè profitebatur, se per flammæ medias incessurum, citra ullum vel capilli unius detrimentum, quem & plurimum, & Teutonico ritu valde promissum habebat, &c.*

§. 23. His tamen aliisque similibus exemplis non obstantibus, sententiam nostram supra declaratam veram esse censemus. Negamus autem simpliciter, exempla hominum, qui ignem perambulaverunt, naturaliter & sine adhibitis præstigiis contigisse. Hirpinas familias jam pridem fraudis coarguit Varro, de quo Servius ξ) hunc in modum loquitur: *Varro, ubique expugnator religionis, ait, quum quoddam medicamentum describeret: & ut solent Hirpini; qui ambulaturi per ignem, medicamento plantas tingunt.* Pierius exemplo à se allato hæc verba subjungit: *Aiebat Benedictus, hoc se arte magistrâ facere, quippe qui unguento quodam partes eas oblineret, quas ab igne salvas vellet.* Idem Pierius huc refert, quod tradit Andreas, Græcus Medicus antiquissimus: *Si quis Salamandræ sanguine vel manus vel vestem obunxerit,*

quod

ζ) Hierogl. l. 16. c. 25. η) l. 7. cap. 2. hist. nat. θ) Polyhist. c. 5. ι) l. 5. Geograph. κ) lib. 11. Æn. λ) l. 5. μ) de Myst. Ægypt. ν) l. 16. c. 25. ξ) in Æneid. l. 11. ο) l. c.

quod oblitum fuerit, ab igne nihil quicquam lædi. Desumfit hæc
Andræ verba Pierius ex Græco Scholiaste Nicandri, ω) ex quo
etiam Langius descripsit. ε)

§. 24. Aliam responsionem adhibet Pererius: σ) Quod, ait, de Va-
ribus Ægyptiorum à Jamblichō, & de familiis Hirpinorum à Plinio
traditum est, est vel fabulosum, ut per multa id genus miracula, vel mi-
nisterio & opera Demonum illud fiebat, quorum commercio & societate
novimus Vates & Sacerdotes Gentilium esse usos. Verisimilius poste-
rius esse ex eo discas, quod Jamblichus τ) dicit, accidere hoc Prophe-
tis Ægyptiis, DEo intus afflante, qui repellat ignem. Et Strabo υ)
dicit, quod Hirpini illasi super ignem incedant κατεχόμενοι ὑπὸ τοῦ
δαίμονος, correpti a Damone. Qualem autem hunc, nisi malum ge-
nium fuisse putes. Delrio ita confirmat: φ) Possunt Magi impedi-
re ignis activitatem, &c. En Simiam DEi Diabolum, qui semper
miracula divina simulat. Sicut enim sancti per fidem (ut ait Apo-
stolus χ) impetum ignis extinxerunt: Sicut DEus Martyres suos in
mediis ignibus salvos præstitit, ita Diabolus in instrumentis suis DE-
um imitari satagit. Sed res dolo non caret. Delrio, cujus testimo-
nio hac in re multum tribuo, sic rem declarat: Sequitur-Demonem
non posse sic impedire actionem agentis naturalis, quod habeat omnia
ad agendum requisita, sed duntaxat id posse indirectè, & medio aliquo
artificio, & medicina, sicut faciunt homines, videlicet 1. adhibita
contraria causa, quæ alterius causæ vim exerci impediatur. Lege &
reliqua apud eundem. His adde Coqueum ψ) & Benedictum Pere-
rium, ω) cujus verbis notatu dignissimis concludimus hanc disser-
tationem: Potest autem Demon hominem conjectum in ignem multis
modis servare ab incendio. 1. restinguendo ignem, tum procul ab eo
flammâ repellendo: Præterea clam subtrahendo verum ignem, & in
eius locum alium simulatum ignem substituendo: Ad hoc, subducendo
hominem ex igne, & inibi simulacrum ejus relinquendo: deniq; cir-
cumponendo illi corpus aliquod frigidissimum maximeq; resistens igni,
quo videlicet hominis corpus ab incendio, ad aliquod tempus, defendi &
servari queat.

σ) Schol. in Alexiph. n. 74. p. 65. edit. Aldi. ε) Epist. Medicin. l. 1. Ep. 66. &
l. 2. Ep. 4. σ) Perer. in Daniel. l. c. τ) l. c. υ) l. c. φ) disquisit. Mag. l. 2. quæst. 20.
χ) Hebr. 12. c. 34. ψ) ad Augustin. de C. D. l. 21. c. 6. ω) in Comment. in Dan. c. 4. l. c.

1. Alchymia, cujus nomen minùs rectè nonnulli deducunt à Chamo filio Noachi, non prorsus est figmentum, neque illicita.
2. Quod Principes Christiani intra modestiæ terminos se continuerint, & nullus eorum hactenus, Monarchiam super cunctos Christianos populos sibi conservare potuerit, ex superioritate Romani Pontificis armati factum esse, inepta est assertio F. Th. Campanellæ, reclamantibus historiis; Illa v. etiam impia, Principes Christianos meliores esse, hanc ob causam, quod vivant sub armato Sacerdotio : Reges autem Israeliticos impios plerosque fuisse, quod non metuerint sibi ab inermi Sacerdote.
3. Mediocribus mandandi sunt honores magni, iique temporarij. Arcanum hoc omnibus Rerump. speciebus maxime proficuum esse, historiæ testantur.

SOLI DEO GLORIA!

